




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Trophæa Mariana, Ob Hæresim Trivmphantam

Mattsperger, Daniel

Ursellis, 1601

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70269](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70269)



Th. 6009.


S. XI. 44.

H

P XI

22

H a



**TROPHÆA
MARIANA,**

Ab. Coll. Soc^{ti} OB Jesu Paderborn. a^o 1610

**HÆRESIM TRIVM-
phatam,**

Grati animi, & Voti persoluendi,

FIXA

IN THOLO LAVRETANO,

A

CHRISTOPHORO MARIANO

Augustano, S. TH. L. & Professore in Academia
Wirceburgensi, ibidemque ad D. Ioannis,
Noui Monasterii Canonico &c.

AD

ILLVSTRISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM

Principem, & Dominum D. IVLIVM Episcopum VVir-
ceburgensem vigilantissimum, & Orientalis Francie
Ducem optime meritum &c.



Permissu Superiorum.

V R S E L L I S

Archiepiscopatus Moguntinensis, apud Cornelium Sutorium,
impensis Nicolai Steinii Bibliop. & Not.

Anno M. DCI.

is. selln

*Ado patri Frederico Wafandunckii
Collig. Paderbornensis Rectori,*

T R O P H A E A

M A R I A N A

IN

GENERA

FIXA

IN

C O N T I N E N T I O M A R I A N O

et Augusti, et in

et in

IN

et in

Berolii

M D C C L I I

et in

M D C C L I I

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI, AC
ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET

Domino, Domino IULIO &c. Episcopo Wirce-
burgensi Vigilantissimo; & Orientalis Fran-
ciae Duci optimè merito, Principi ac
Domino suo elementissimo.

CHRISTOPHORVS MARIANVS, a
Deo Optimo Maximo, gratiam, vitam, & felicitatem
demisse precatur.



VM hoc Anno seculari, & sa-
cro Jubileo voti reus ad religio-
sissimam, & toto mundo cele-
berrimam Aedem Marianam
Lauretanam cogitarem, et ad il-
lud iter ineundum ab Illustrissima ac Reueren-
dissima Celsitudine Vestra missionem impetra-
sem; neq; multò post feliciter Lauretum perue-
nissim; gratiasque & vota Magnae ac Bene-
ficentissimae Matri promissa persolvissim; acci-
dit aliquando, dum in sanctissimis penetralibus
caelestis adicula venerabundus & mirabun-

EPISTOLA

dus assisterem, ut vehementius solito commo-
 uerer animo, & dulcedine quadam persuasus
 impellerer quodammodo in voluntatem publi-
 cè contestandi beneficia, quæ eiusdem patrocini-
 o in omni vita plurima & maxima recepis-
 sem. Extimulauerant me quidem ad idem præ-
 standum in ipso itineris ingressu, & in reliqua
 via cogitationes quadam, sed incertæ; postquã
 autem non solum quasi diuinã quadam pieta-
 tis & amoris aurã, quam loci sanctitas exspi-
 rat, afflatus essem; sed coram etiam oculis usur-
 parem similia summorum & infimorum ex-
 empla votiuis tabulis, libris, carminibus, si-
 gnis, donis, omnisq; generis monumentis, MA-
 RIÆ LAVRETANÆ in omnes & singulos benefa-
 cta predicantiũ, iam non modo psuadebar, sed
 cõvincebar & licere, & decere; imò oportere me,
 vel grati animi significandi, vel aliorum quo-
 que spem in tam piã ac potentem Matrem
 excitandi gratiã, spectabili aliquo opere tan-
 quã illustri testimonio pfiteri, quid, & quan-
 tum Mariana clementiã & beneficentiã debe-
 am; idq; tanto magis, ne temerè potiùs inue-
 nisse,

DEDICATORIA.

nisse, quàm, repudiato gentilitio, nomen à Maria consultò delegisse videar, hoc est, ne frustra Marianus dicar. Itaq; ibidem statim vires ac tenuitatem meã astimans ad scriptionem & literas, quibus solum innutritus essem, cõfugiendum putavi, & aliquid meditandum, quod in laudem Munificentissimæ Virginis tanquàm in totius mundi conspectu collocarem, non ad eruditionis, quam scio nullam in me, aut perexiguam esse, iactationem; sed ad Mariana Lauretana, largitatis & potentia testificationem, quam solam in his quasi votiuis chartis ab Illustrissima & Reuerendissima Celsitudine Vestra spectandam & precor, & confido; à ceteris quidem opto magis quàm spero. Apud DEVM autem Optimum Maximum, & eius Beatissimam Matrem Lauretanam nimis quàm certum est fieri pluris offerentium bonã mentem, quàm donorum ornamenta. Sape qui minus obtinuit, aurum & gemmas obtulit. Sape malus pector informem tabulam animo pio dedicauit, & placuit. Mibi quidem diligenter consideranti, & omnia circumspicienti in cau-

Sa & laudatione Mariana triumphandū vi-
 debatur. Siue igitur ob impetrata dona gratias
 agere, siue multos alios quoque ad Marianas
 laudes concitare pararem, exultandum erat, et
 tanquā ad publicam latitiam, quā plurimi
 alliciendi. Hæresim igitur triumphatā induxi,
 et victoria Mariana de eadem Trophæa statui,
 non quidē ingenio exquisita, aut arte & indu-
 striā elaborata, quam ob causam etiā inuitior
 & tardius typis spectanda pposui, sed planè tu-
 multuaria, hoc est, aut inter viæ molestias, aut
 inter docendi, & regenda iuuentutis curas, ut-
 cunque posita potius, quā sic firmata & ornata,
 ut circum ea plausus, & admiratio sperari pos-
 sit. Quibus tamē vel inde aliquid dignitatis &
 auctoritatis accedet, quoniam Illustrissimæ ac
 Reuerendissimæ Celsitudini Vestre dedicata
 sunt, nō solum quod iam pridē fortè debuisset ex-
 tare aliquod quasi pignus obseruantie meæ in
 Celsitudinē Vestram, quæ me ad labores p Ec-
 clesia Christi Catholica hîc potius in vinea Do-
 mini regione nobili & antiqua, quā alibi to-
 lerādos benignè inuitauit; verum etiā & multò

magis

DEDICATORIA.

magis, quod sub Celsitudinis Vestrae ditione & imperio tam multa tam illustria visantur Mariana Trophæa, ut ob eorum numerum & augustam speciem iam sit Orientalis Francia toto orbe celeberrima & laudatissima: Ecquod potest esse augustius Trophæum Marianum, quam Basilica Cathedralis Wirceburgensis, quæ magnificentissimam structuram quatergeminis in æthera surgit turribus, nobilissimo Canonorum collegio sacerdotibus opulentissimis, sacro instrumento et omni apparatu pretiosissimo, & MARIÆ imprimis patrocinio ac nomine clarissima? Sed hæc et alia Tempora, Monasteria, Monumenta Mariana, quæ plurima et ornatissima in hac Fræcia sunt, modò non exsequar. Ipsum etiam Lauretum Francicum, nempe illam ad rivum Tetulam (Tettelbachium) sitam Aedem Marianam, peregrinorum concursu et votorum nuncupatione, et miraculorum gloria, iam exteris quoque notissimam, etsi insignem præbeat dicendi materiam, nunc tamen tacitus præteribo, et ea tantum attingam quæ Celsitudinis Vestrae propria sunt. Quis enim nostri seculi principum plura Trophæa Mariana vetera restituit

Et ornauit? quis plura noua Et praestantiora cre-
 xit? quis haeresim fortius, Et feliciter debellauit?
 non militariibus excubiis, sed paternam uigilan-
 tiam, non classicum canentibus tubis, sed templis lau-
 de DEI sacrisque monitis resonantibus; non vio-
 lentiâ ferri, sed uerbi DEI potentiâ, pauculi qui-
 dam, uel, ut filij mali disciplina, uel, ut impru-
 dentes aegri, medicina impatientes transfugerunt,
 ex quibus aliqui saniore demum consilio postli-
 minio ad patriam Et salutem reuerterunt; alij
 rem Et spem amiserunt, alij fallacem Euan-
 gelij umbram peruicaciter sectantes ipsum Euan-
 gelium perdiderunt, Et nucleo spoliati putami-
 nibus iactabundi ludunt, Et animis infelicibus
 illudunt. Caeterum ex illo tempore, quo Illustris-
 sima ac Reuerendissima Celsitudo Vestra, ut o-
 ptimus pastor, oues sibi commissas ad unum ouile
 Christi magno labore traduxit, tanta est in Frã-
 cia pietatis accessio facta, ut quae superioris tem-
 poris meminerunt, Et praesentem religionis statu
 contemplantur, non sine lachrymis Deo grati-
 as agant, quod Illustris ac Reuerendissima
 Celsitudini Vestrae tantum Et animi ad conan-
 dum,

DEDICATORIA.

dum, & auctoritatis ac gratia ad perficiendum dederit. Vident enim olim penè desolata templa, nunc non ornata solum, sed frequentata, non in sacris solum concionibus, sed etiam dum DEI & Sanctorum laudes concinuntur, dum sancta sacrificia peraguntur. Jam tandem re-floruerunt veteris pietatis instituta, ut & publice & priuatim, domi & in templis, laudi & honori sit ante Deum, ante aras, ante signa & imagines Sanctorum prosterni, in puluere volutari, supplices palmas tendere, gemitus ciere, lachrymas fundere, pectus pulsare, peccata plangere, fateri & expiare. Ah, nesciebant multi quantam dulcedinem ista bonis mentibus adferrent, quàm multis, quàm benignis, quàm liberalibus patronis carerent, dum insanâ superstitione Sanctos & DEI omnipotentis Matrem nihil poscere, auderent. Itaque multi ex ipsis illis, quos Hæresis incautos inter-necioni penè dedisset, nunc eidem insultant, & Victorem ac Triumphatorem principem ac Pontificem suum letissimis acclamationibus, & plausibus salutant, & cum Hæresi Idolola-

)..(triam

EPISTOLA

triam, Hypocrisin & Mendacium, & Bla-
 sphemiam, Calumniam, & Impietatem in Illu-
 strissimæ ac Reuerendissimæ Celsitudinis Ve-
 stre Triumpho vincetas, & subactas exagi-
 tant, imo sternunt & pessundant. Porro quod
 potest esse nobilius & excelsius Trophæum,
 quam quod Reuerendissimæ Celsitudo Vestra
 aduersus Ignorantiam & Malitiam hereti-
 cam magno animo atq; consilio, feliciq; euentu
 fixit? Nempe Academia VVirceburgensis in o-
 mni genere doctrina & scientia, eruditissimis
 optimisq; Doctoribus longè lateq; iam depra-
 dicata, & adolescens adhuc tantâ diuersarum
 quoq; nationum, & nobilissimorum iuuenum
 frequentiam cohonestata, ut cum quibusdam
 veteribus Academijs, quarum cum atate cre-
 scere solet honor & authoritas, de gloria certare
 posse videatur. Itaque non solum ipsum ædifici-
 um planè regium tanquam Arx quedam sa-
 pientia totâ vrbe eminet, sed magnitudini &
 pulchritudini tantæ molis docentium & discenti-
 um dignitas, & prestantia præclare respondet.
 Neq; verò hîc Doctores huius & aliarum A-
 cademia-

cademia-

DEDICATORIA.

cademiarum, aut studiosorum ingenia, inter se comparabo, quod ego non solum, ut vulgò, odiosum, sed desipientis arrogantia esse credo; sed si de eo agatur, quod in omnium oculos incurrit, & sensu minus fallente dijudicari potest, fatendum certe est Academiam Virceburgensem, specie, magnitudine, & amplitudine omnia aedificia Academica, qua (ut modestissime dicam) in Germania saltem nostro seculo sunt excitata, longè antecellere, praesertim si cum templo Academia ornatissimo, totoq; S. Kiliani Collegio florentissimo aspectetur. Nam de duobus alijs domicilijs seu collegijs, minoribus quidem, sed tamen conspicuis, quorum alterum Juris & Justitiae, alterum B. Mariae Virginis clientibus inhabitandum exaedificavit Illustrissima Celsitudo Vestra, plura nunc non addo, nisi quod certò scio, non deesse Respublicas florentes, & Magnos ac Principes viros, qui sibi magnificentissime de Haeretica Ignorantia & Malitia triumphaturi viderentur, vel unico tali Gymnasio, quale vel id est, quod in Academia Celsitudinis Vestrae minimum est. Atq; hac ea-

EPISTOLA

dem Trophæa configunt quidem etiam Liorem Hereticum, & Cupiditatem proditoriam. An adhuc audebunt illud petulanter iactare? ut quid perditio hæc, potuerunt ista pauperibus dari? Certè Reuerendissima & Illustrissima Celsitudo Vestra etiam his beluis deuictis, proprium excelsumq; Trophæum statuit; & ubi nam sunt illi personati pauperum Curatores? Adsint & intelligant quot Celsitudo Vestra pauperes pueros pecunijs iuuet? quot adolescentibus diuerso genere Eleemosynæ subueniat; quot studiosos in una domo necessario victu sustentet; quot in altera, etatis & doctrinæ prouectioris Alumnos non solum honestè ac liberaliter habeat; sed commodè educari, & ad functiones sacras & Ecclesiasticas preparari paternâ sollicitudine procuret: Ita ut Gymnasia aliquot, & Scholæ non in celebres reperiantur, in quibus pauciores sint discipuli, quàm sint Celsitudinis Vestre Alumni. Rumpatur igitur Lior, malè pereat improba Cupiditas. nam quæ potest esse etiam DEO gratior, & prestabilior Eleemosynæ, quàm quæ istis datur, non solum

ut vi-

DEDICATORIA.

ut uiuant, sed ut sapientes fiant, hoc est, ut Ec-
 clesia Resq; publica floreat, & habeant qui a-
 nimis corporibusq; mederi, rebusq; humanis
 omnibus moderari sapienter sciant; Sed si beni-
 gnitas etiam in pauperes calamitosos queritur,
 neq; hac in virtute gloria sua Celsitudo Vestra
 defuit, extruendo & instituendo Xenodochio,
 quo si quod alicubi forsan aliquã re præstantius
 sit, pauca tamen certe inuenientur paria, siue
 fabrica concinnitate, siue latitudine fundi, siue
 commoditate habitandi, siue hortorum amœ-
 nitate, siue prouentuum ubertate. Itaq; cupi-
 didissimè ab aduenis visitur, & admirationi est
 tanquã insigne Trophæum IULIANVM imò et
 MARIANVM; Marianum inquam, quoniam
 notum est, Celsitudinem Vestram S. Maria
 montem, multis sæpè petatum & oppugnatum
 insidijs, eiusdem tamen Antistitis Beatissima
 defensione nunquam expugnatum insidere, in-
 deq; Francia Orientalis habenas feliciter rege-
 re, innitentem semper eodem præsidio MARIA-
 NO; cuius honori dum hac ipsa scriberem, signũ
 argento & auro perfusum in summa eaq; noua

EPISTOLA

turri pie dedicauit, quod in culmine arcis editissimæ, tanquam excellentissimum Trophæum Marianum, longissimè resplendet, & Celsitudinis Vestrae in MARIAM, præsertim autem in IESVM brachijs eius implicatum, spem & amorem procul terrâ Mænoq; huc properantibus clarissimè demonstrat. Quare, ut tandem concludam, cum hic VVirceburgi non tantum ipsa ciuitas Trophæum insignibus præferat, sed cum auspicijs inprimis & curâ Celsitudinis Vestrae, tum verò etiam fauente, & consilijs atq; auxilijs allaborante nobilissimo Canoniorum suorum Collegio, tot & tanta Trophæa Mariana extent, ut ijs neq; numero plura, neq; arte præstantiora, neq; pretio sumtuosiora, nec usu fructuosiora, nec stabilitate, ut sperant & optant boni omnes, firmiora, quamuis in amplissimis quibusdam alijs prouincijs inueniantur, sperari Celsitudinem Vestram etiam hæc mea qualiacung; Trophæa Mariana vel ob ipsum nomen non aspernaturam, futurumq; ut inde non solum benignitatis suæ, sed etiam suorum Trophæorum gloriam augeat. Nam illorum

tanto

DEDICATORIA.

tantò clariùs effulgebit dignitas, & amplitudo,
 quantò nostra iuxta posita apparebunt humi-
 liora. Quod si nihil aliud, illud saltem hac scri-
 ptione & inscriptione quemadmodum spero
 perfecere, ut quod in primis DEO Opt. Max.
 tum mea apud illum filium suum Aduocata
 clementissimæ, ob innumera accepta animi &
 corporis beneficia; quodq; præterea Celsitudini
 Vestre non tam priuatim, quàm ob eius in Ec-
 clesiam & Rempublicam magna merita, de-
 beo, id si non potuisse, saltem videar voluisse
 persolvere, contesterq; mihi ad gratias dignas
 habendas deesse facultatem, non voluntatem.
 Quam si Celsitudo Vestra, quemadmodum &
 Superi solent, solam æstimat, habeo polliceri Cel-
 situdini Vestre me & meo & publico nomine
 semper gratissimum fore; & non solum grandia
 illa, & miranda Celsitudinis Vestre Trophæa
 oratione ac prædicatione celebraturum, sed vo-
 tis etiam ac sacrificijs multiplicatis, & cum do-
 ctissimis & optimis quibusq; consociatis DEO
 pertinaciter supplicaturum, nõ modò ut Celsi-
 tudinis Vestre mentẽ corroboret sua illa felicia

EPISTOLA DEDICAT.

Reipublica Ecclesiæq; tam necessaria & salu-
taria Trophæa conseruandi, amplificandi, &
quasi ad æternitatem quandam, dum adhuc
in viuis est, stabiliendi & confirmandi; sed et-
iam vt Illustrissimam ac Reuerendissimam
Celsitudinem Vestram omnibus Patriæ commo-
dis promouendis diutissimè seruet incolumem,
& serò tandem annis meritisq; grauem cum
suis amplissimis Trophæis cælo inferat, cum
IESV & Maria matre eius in sæcula trium-
phaturam. Data VVirceburgi ipso die quo
Victrix ac Triumphatrix Virgo nostra absque
omni humana labe concepta est: VI. Id.

Decembr. Anni aurei secu-
laris 1600.

PIO

PIO AC BENEVOLO

Lectori.

ET si non magnoperè me sollicitū habet, quid de Trophæis hisce, vulgus hominū, præsertim verò impii quidam, & Mariomastiges iudicaturi sint, pii tamen, atq; benevoli Lectoris rationem mihi habendā duxi, vteum cōsiliū mei breuiter commonefacerem, etsi non omnium, quorundam tamen fastidiis occurrerē, & tanto equiores mei conatus estimatorēs haberem.

Primūm igitur in his Trophæis edendis duas causas secutus sum. Vnam iam in præfatione explicatam, & ipsi quoq; titulo insertam; nempe votum. Quare si eorum cōmendatur pietas, qui qualibuscunq; tabulis, donis, signis certo loco fixis MARIÆ beneficia prædicant, non video, cur non idē chartis quoq; & libris fieri possit, ac debeat, præsertim ab eo, qui fortè plura & maiora, quā plurimi alii impetrasse se fatetur.

Alteram causam, mi Lector, talem ac-

)::(cipe

cipe. Cùm sæpissimè inter doctos & indoctos, simplices & callidos, Catholicos & hæreticos, verba mihi facienda, aut differendum esset familiariter & amicè de cultu, quo Mariam Matrem Dei Catholicæ Ecclesiæ filii prosequuntur, atq; ego ad eum ferè modum, quo in his Trophæis subinde sum usus, pietatem Marianam defenderem, vidi non rarò, non solùm nostros in eo confirmatos, sed & non Catholicos quosdam ita permotos, vt dicerent, si qui Mariam tali mente & sententia colant, tum id à se reprehendi meritò non posse, sed multum abesse videri, vt sic omnes Catholici aut sentiant, aut doceant. Quare cùm fieri possit, vt hæc nostra legentes, nõ minùs afficiãtur benè, quam qui similia ex me audiuerunt, simul etiam cum hac editione fieri possit, vt nonnulli liberentur eã suspitione, quã sibi persuadent alios & aliàs aliter docere Catholicos, ausus sum qualemcunq; etiam vtilitatem hinc sperare, in quo si fortè fallor, nihilominus in voto acquiesco, & sufficiat mihi tanquam votiua tabulam

tabulam suspendisse, licet pauci vel accipiant vel probent; Votum soluere pietatis est, & animi grati, laudem verò quærere & habere non rarò vanitatis est & pectoris elati.

3 Ipsum scriptionis genus non equabile semper, fateor, aliquando repit, quandoque surgit oratio nostra, modo disputat, aliàs exultat; interdù triumphat, sæpè pugnat, quæ tamen omnia, Trophæa statuentibus ac triumphantibus non pessimè conuenire videtur. Facit & hoc fortassè plusculum ad animos flectendos & concitandos præsertim in tam lato & florète quasi campo dicendi.

4 Fallor, an Trophæi & triumphi nomine ad calumniam abutentur sycophantæ nonnulli, dicentq; tumultus, interneciones, deprædationes, atque adeò sanguinarios triumphos occultè suaderi. Sed hanc, qui mihi mentem affingit, proprium suum scelus impingit innocenti, atque ex conscientia pertimescit idem, quod ex nequitia fortè molitur. Apage verò deierecte. Arma nostra nō sunt carnalia; nec Mariana bella, nec

Trophæa nostra sunt cruenta; cum mendacio veritas, cum infidelitate miraculorū celebritas; cum impietate hæretica, Religio Mariana, Christiana, cōponitur hîc, & pugnat, & vincit, & triumphat.

5 In verbis & structura tota sermonis neq; cautum neq; securum nimis fuisse credo, plus fortè hinc, quàm inde erratum est, non tamen ultra spem veniæ, quam magis meretur calor & impetus, quàm labor, & delectus. Suam obtineat dignitatem Latinitas, sed ei non cedat Mariana & Christiana simplicitas.

6 Quoniam argumentum quod tractamus, verè triumphale est, videbuntur alicubi deesse multa, aliàs superesse, alia perstringi tantùm, alia nimis inculcari; sed qui potest aliter fieri in materia tam diffluente & copiosa; Quidam plura Trophæa, alius pauciora: nonnemo fortassis alia desiderabit. An non erit exempli causa, qui miretur superbiam non triumphari, quæ mater Hæreticorū censetur? Nonne quidam nonnulla alio atq;

alio

alio loco tractanda, & transponenda iudicabunt? Et iudicent sane; sed sciant à nobis quoque plura cogitata, quam pertractata fuisse, sed ita sunt hæc, quæ ad mores, ad vitia, virtutesq; spectant, inter se coñexa, vt variè quidem & dextrè commutari; sed separari non possint. Catenæ diuersâ positurâ figuras varias repræsentare possunt, quarum vna altera sit concinnior, nec tamen tollitur membrorum nexus, quamuis mutetur flexus. Inueniat alias aurea, sed & ærea pretiū habent, nec ideo quod minus est, malum est, etiam si id quod maius est, pluris est. Et cur ego accurate & scholasticè, operosè, aut ambitiosè in his elaboraré, quæ sunt iam pridem diligentissimè & copiosissimè ab eruditissimis & sanctissimis viris perfecta. Inde velut perennes fontes existunt, & inexhausta Marianæ laudis, & honoris flumina. Nos quid agimus, nisi minuto poculo de illa abundantia haurimus, magis quod fastidientibus, quam quod sitientibus profit. Atque vt plerosque & veteres, & recentiores omittam, instar o-

mnium potest esse opus Marianū Petri Canisii, & expectatur Polemica Mariana Martini del Rio ex eadem societate IESV, viri diuina humanaq; doctissimi.

Demum quicquid h'c quomodocunque erratum est, eius non solum gratiam peto ad ignoscendum, sed etiam gratiam debeo ad remunerandum, si quis amicè monuerit. Nimum profectò superbus est, cui doceri, & discere pudor est. Quod si quod fortè vel verbulum Marianę pietati non cõueniens, aut Catholicę veritati non consentiens excidisset, id volo iubeoq; pro meo nõ haberi; antè mihi lingua manusq; rigeat, quã se vel tantillum moueat aduersus geminam Matrè, Dei scilicet & Ecclesiam, quæ vtraq; clientes suos cœlo dignos reddere potest, & velit pios Lectores, foelicitare viuos, & mortuos beare.

ORDO

ORDO TROPHÆORVM
Marianorum.

TROPHÆVM I.

D. MARIAE non DEÆ S. Idololatriâ profligatâ pag. 1.

TROPHÆVM II.

D. MARIAE MATRI DEI S. De manûibus Hypocrisis & Mendacii. pag. 5.

TROPHÆVM III.

D. MARIAE veteris & noui Testamenti miraculis & oraculis deprecata S. calumniâ feliciter obruitâ. pag. 18.

TROPHÆVM IV.

D. MARIAE communi fidelium Aduocata & Opt. Max. Patrona S. excisâ Blasphemiam. pag. 27.

TROPHÆVM V.

D. MARIAE THAVMATVRGAE S. Impietate & Superstitione extirpatâ. pag. 44.

TROPHÆVM VI.

S. MARIAE SALVTATAE S. Ignorantiâ & Malitiâ superatâ. pag. 62.

TROPHÆVM VII.

D. MARIAE VIRGINIVIRGINVM S. Licentiâ & Libidine coercitâ. pag. 79.

TROPHÆVM VIII.

D. MARIAE MATRI MISERICORDIÆ S. Inuidiâ & Auaritiâ extinctâ. pag. 96.

TROPHÆVM IX.

D. MARIAE VINDICI atq; VICTRICI S. Hæresi & Pestilentiam domitâ. pag. 107.

TROPHÆVM X.

D. MARIAE LAVRETANAE S. Panoethriâ sublatâ & Pannaceâ repertâ. pag. 118.

ELEGIA

ad

Sacratissimam Dei Genitricem incompara-
bilem Virginem MARIAM.

O tubar excelsum, miseris spes una relicta,
O superum Regis filia, sponsa, parens.
Quis tua sat poterit dignè celebrare Trophæa?
Quis tua miracula & sat canet eloquiis?
Quæ, qualis, vel quantæ tuis virtutibus, ausis,
Atirificis factis, viribus, officiis?
Te mare, te tellus, te sidra, & igneus æther
Ecquid habet vocis, te sine fine sonant,
Pulchrior aurora nitidis rutilantior astris,
Splendidior Luna, Sole serenior, es.
Sola procelloso jactatos æquore nautas
Eripis à diris sæpè vocata fretis.
Sola famem, morbos, pestes & bella coerces,
Sola potens precibus ducere ad astra tuos.
Suscipe quas Marianus agit tibi pectore grates,
Hæc tua LAVRETI sancta Trophæa videns.
Occidat invidia demon, rumpatur & atra
Hæresis, accrescat nomen in orbe tuum.
Esto tuo famulo fidei pons, porta salutis,
Scandet ut astrigeri, te duce, regna poli.

Auct. Valen. Leuchtio
SS. Theol. D.

TROPHÆA MARIA-
RIANA FIXA IN THO-
lo Lauretano.

TROPHÆVM PRIMVM.

Argumentum.

Insanis clamoribus obtundunt aures infelicitum populorum Hereti-
ci qui se dici vident Evangelicos; Idololatria crimen à Catholicis com-
mitti, quod Mariam tanquam diuino numine pradam, pari hono-
re quo ipsum Deum afficiant & sensim multitudinem Deorum indu-
cant. At MARIA & eius nomine Ecclesia Catholica primum aduer-
sus Idololatriam Trophaum statuit:

DIVAE MARIAE NON DEAE, SACRVM
IDOLOLATRIA PROFLIGATVM.



Novum triumphandi Genus; MARIA
NON EST DEA. Obmutescat Adulatio
vbi exulat Ambitio; VNVS SOLVS EST
DEVS. Preter hunc vnum DEVM, si quis
Deum, Deam alteram, dixerit, pinxe-
rit, finxerit, sacrilegii reus esto; MARIA
NON EST DEA, non esse, non audire vult. Non censet ef-
se gloriam & laudem sed contumeliam & fraudem, veluti
DEAM in vota vocari vel adorari. Quicquid in eam orna-
mentorum titulorumq; congesseris, eatenus tantum ac-
ceptat, quatenus in supremi numinis laudem redundare

DEI vel DEÆ
nomen & nu-
men, MARIA
nō expetit, non
admittit, nec
quisquam Ca-
tholicus ei tri-
buit.

A

possit

possit. At Deo soli debitum nomen & dignitatem tantum abest vt velit admittere, vt malit omnem honorem amittere, quàm alienum vindicare. Nec vllus alius vnquam piorum hominum de Maria sensus & sententia est, aut fuit vnquam, quàm hic; **MARIA NON EST DE A.** Licet eam super astra ponas, super ipsos æternos Spiritus colloces, super omnem creaturam extollas, dum illud etiam agnoscas; **MARIA NON EST DE A;** Siue **MARIAM** supplices deprecamur; siue eius imagines & monumenta deuoti veneramur; siue eius nomini festa, altaria, templa dicamus; tamen **SOLI DEO** sacrificamus; & post omnem ceremoniarum magnificentiam, & præconiorum magniloquentiam, illud Epiphonema plenis buccis pronunciamus, & clangentibus tubis insonamus, **MARIA NON EST DE A.** Quibuscunque **MARIAM** verborum & dignitatum honestamentis condecoramus; imò cum etiam ipsi **DEO** comparamus, nihilominus tantum tamen distare protestamur, quantum ab humanis cœlestia; quantum Tellus à Stellis, quantum ab Inferis Superi, quantum Stilla ab Oceano; & tanta demùm differentia est, quanta si momentū æternitati, punctū infinitati; atomum imensitati componas.

Idololatria perit, vbi etiam Mater DEI, DEO infinito spatio postponitur.

Occisa igitur est Idololatria; Neque enim vllum periculum est, vt cuiquam vel Angelorum vel hominum diuinum honorem tribuamus quem **MARIÆ** negamus. Longè absunt à felicitate **MARIÆ** etiam felicissimi cœlitum; sed ipsa longiùs abest, à sempiterni numinis perfectione, quia **NON EST DE A.** Imò, vt scias Hæretice hæc serio inculcari. Dic sodes? Credisne, **MARIAM** hominem castam, sanctam, beatam esse, fuisse, fore in æuum vsque? Quid indignaris? Non credo eò vsque impietatis te progressum, vt etiam simplicem hanc laudatio-

nem

nem *MARIÆ* inuideas. Vide quanto sim te æquior? Ego te non cenſeo tam audacem vt omnem *MARIÆ* honorem creptum eas; tu me cenſes tam improbum, quaſi ipſi *DEO* omnipotenti ſceptrum & diadema ſurripuiſſe velim; Vah quàm ſuſpicax es? Ego verò neque beatitatem, neque ſanctitatem, neque caſtitatem, neque humanitatem *MARIÆ*, *MARIÆ* tribuo, ſed magis *DEO*. Hic dedit, illa recepit, *QVIA FECIT*, inquit, *MIHI MAGNA QVI POTENSE EST*. *MARIA* ergo, ex ſeſe non potens, imò abiecta & deſpecta, vel vt ipſa mauult, *HVMILIS ANCILLA DEI*; Ecce quantum abeſt, ab opinione mea, vt *MARPA* ſit *DEA*?

Luc. 11

Quàm ergo iniurius es, qui me propter *MARIAM* Idololatram criminariſ? Etiaſi *DEAM* appellaeſſem, *DEAM* tamen non erederem; Nullus eſt apud Pſeudo-euangelicos, tam miſer Grammaticus, tam inſuſus Poëta, tam infans Miniſter, quin ſe quaſi *DEVM* quendam Grammaticorum, Poëtarum aut Oratorum haberi & nominari velit. *At nos non adoratis*, inquit, fortè, ex iſtis Diis patellariis vnus; Prohibeſſit hoc quidem ille *VNVS DEVS*. Et malim Magnus fortè cepas & crepitus cum *Ægyptiis*; Sed nec *MARIAM* adoramus vt *DEAM*; Aut dic tandem quem tu putes aut cultum, aut ſenſum de *DEO*, *DEO* proprie & ſoli conuenire; Inuenies cum *MARIÆ* à Catholicis nequaquam assignari. Nunc quidem ſatis ſit *MARIAM* triumphare quod non ſit *DEA*, ſed quod quanta quanta eſt, à *DEO* ſit; Deos tamen etiam in diuinis literis reperio non ſolum Apoſtolos, ſed fideles omnes Chriſto credentes, nominatos. Cur in *MARIAM* ſolam tam eſtis iniqui, vt neque maiori,

Abuſo *DEI DEÆ* que nominum, ſepe ambitioſa, quandoque conceſſa, non nunquam & laudata.

Pſal. 81. Ioan. 10. Matth. 6. ex ſententia S. Hieronymi lib. 3. in Mattheum.

neque pari iure eam esse velitis quo ceteros qui Deo credunt? *At Deo vni equatis MARIAM inquit,* Nunquam factum aut futurum est à Catholicis quidem, qui quamuis millies auctiore honore MARIAM exornarent, nunquam tamen ad Numinis æterni divinitatem attollerent. Miror quæ vestræ cogitationes de DEO sint; Angustia animorū vestrorum non capiunt quid nos Catholici Deum existimemus. Tantillum honoris quod MARIÆ impendimus, nihil est præ eo, quod DEO volumus, quod debemus; Quid? quod omnia quæ MARIÆ, eadem deferuntur vni DEO, omnium bonorum, quæ in MARIA miramur, summo Auctori.

Cultus quo DEVM & quo MARIAM honoramus, quandoque similis est, nunquam par.

Adhuc mihi idola opponis, ære cufas, vel auro fufas imagines, coloribus expressas, vel luto formatas, ligno dolatas aut Saxo cufas; & ad easdem supplices palmas, prostrata corpora, percussa pectora; tum suspiria, lachrymas, vota, munera, & similia omnia, ac si Deum aliquem coleremus; Nondum demonstras Idolum, sed struis dolum; sunt ex ipsis vobis, qui ad Regum, Principum, Parentum, Præceptorum, imo abiectorum & impiorum effigies, & monumenta, similiter afficiantur, an ideo & vos idololatræ estis? Nullus est pene ritus, gestus, aut situs corporis, quo DEO supplicamus, (sacrificium semper excipio) quin eundem hominibus aliquando tribuere, vel assentatio doceat, vel consuetudo permittat; Cur magis Idololatria sit, quod MARIÆ, quam quod homini sæpe impuro exhibetur? Nam diuinitatem nec MARIÆ quidem assignamus; si illam te, aut alio mortali aut æthereis animis honoratiorem aut beatiorem statuo, non ideo necesse est DEAM esse. Adhuc inexplicabilibus interualis MARIAM à DEI absolutissima & perfectissima natura abesse confitemur. Vide quæso quot vulneribus confossa iacet Idololatria; tu quid pro ea pugnas? cur viam contendis?

tendis? nisi forte tacite regnare vis, quam mortuam fateri non vis? VNVS SOLVS EST DEVS. Hic est ensis, quo iugulum Idololatriæ & cor configimus; si serio Idololatriam odisti, aspice & mecum triumphas; sin cum eadem clâ conspiras, tu quoque ferrum recipe; MARIA NON EST DEVS, SED MATER DEI. Ecce enim alterum aduersus te Trophæum paratur.

TROPHÆVM SECVNDVM.

Argumentum.

VT Heretici Catholicos apud plebem erroribus & licentia fascinatam, Idololatria reos faciant, duobus modis potissimum consequi conantur Hypocrisi, quia se DEI vnus solius causam agere simulant; & Mendacio, quia Catholicis affingunt, quæ eis in mentem nunquam venerunt. Hinc itaque vt ipsi pii videantur, nos impios mentiuntur; vt Zelota ipsi æstimantur, nos Idololatrias committuntur, & debitum MARIAE cultum, vt sacrilegium criminantur. Hinc alterum MARIAE Trophæum statuimus:

DIVAE MARIAE, MATRI DEIS. DE MANVBIIS HYPOCRISIS ET MENDACII.

Trum inuis, te Hypocritam dicam an Mendacem? an vtrumque; an in Hypocrisi loquentem mendacium? Dicis, *solum Deum honorandum*; Hæc Hypocrisis est. Dicis *MARIAM a nobis honorari tanquam Deum*: hoc mendacium est. Scilicet, Hypocrita tu, vt habearis honoris Dei vindex, mendax esse non erubescis; Dicis, *nos auferre Deo, quod tu restitu-*

1. Timeth. 4

Matris DEI
nomen ac di-
gnitas, Hæreti-
cæ Hypocrifi-
laruam detra-
hit.

Exod. 20. Leu.
19. Deut. 5.
Tob. 4. Eccl.
30. Ephes. 6.

Matth. 5.

Christus quæ-
uis DEVS hu-
manum, tamen
affectum & suæ
legi, consenta-
neum erga
Matrem, re-
tinet.

as. Itane verò nō tu potes pius esse, nisi me calūnieris impiū? Itane verò non potes honorare Deum, nisi dehonestes Matrem eius. Ecce tibi cruentum adhuc mucronē qui vno ictu Hypocrisim & mendaciū conficiet. MARIA EST MATER DEI. Si pro DEO pugnas, cur Matrem impugnas? An similitates sunt inter DEVM & Matrē DEI; vt Filius Matris gloriā, suam existimet contumeliam? An Mater ambitiosa, quæ Nato suo laudem præreptā velit? Dic mihi quo loco apud te mater tua est? quo futura esset, si tu quisquis es, Princeps aut Rex esses? *Humana*, inquit, *ad Deū transfertis*. Ecquid hoc mirum est, quandoquidem DEVS homo est? Sed mauius fortè me diuina ad homines transferre; En pareo. Præceptum parentes honorandi, nonne à DEO est? An ergo iniuriam DEO homini facio, si præcepti sui obseruantem credo, cum ipse professus sit; Non veni soluere legem sed adimplere? Ille qui minutias Mosaici cultus non contempsit, pessimo exemplo Matrē suam non eximio honore condecorauerit?

Audio susurros; *At DEITAS non ex Matre est*. Quid tricaris impure? Animus tuus vnde est? à parentibus? an à DEO? Non dignaberis ergò vlllo amore aut honore progenitores tuos, quoniam melior tui pars non ab ipsis, sed à Deo est? *At magis interfuit Matris quàm Filij Filium hunc nasci*. Sanè; & illud addo; cum reliquo genere mortalium, hæc Mater periisset, nisi hunc Filium peperisset. Nunquid ideo minus Mater est? aut nunquid ideo naturæ nomen Filius amisit? Itaque si DEVM agnoscis hominem, humanum quoque affectum fateri, non cum qui à peccato, sed qui à DEO insitus est. An ille homo qui Deus est; inde erit à Matre magis alienus, vnde in homines cæteros factus est benignior? DEVS carnem induit, vt nos homines DEO lau-

tius

tius frueremur & honorabiles fieremus. Quod si Mater DEI non est inde facta honoratior: Igitur, te iudice, infelix Mater, cui soli obfuit DEVM ex se hominem nasci. Nam si DEVS homo, quem MARIAM progenuit, DEUS non esset, plus ipsam diligeret & amplius extolleret. Durior ergo in Matrem est, quia DEVS est, & Mater tanto miserior, quanto excelsior ille quem partu edidit. Ita dum iustitiam simulas, feminas blasphemiam; Nam quem honorem MARIÆ negas, Christo derogas; MARIÆ enim nihil assignamus vel dignitatis vel claritatis, nisi quantum Christus non dicam pro potentia sua potuit; sed vel pro diuina benignitate voluit; vel pro conditione humana Matri debuit communicare; *Debuit* inquis, & rides. *Debuit* inquam. Cur enim Matri non debeat, qui tibi, qui mihi debet? Fide Christo, & secundum leges eius viue, iam tibi debet, non tam pro merito tuo, quam pro sponione sua. Et Matri nihil debuit post educationis & nutricationis officia? post curas & sollicitudines maternas, & plus quam virilem aut Apostolicam etiam in aduersis & cruce ipsa constantiam? Miserrimam igitur mulierum MARIAM, Gabrielem adulatorem, Elizabetham fallacem, ipsum Spiritum sanctum in ore MARIÆ mendacē proclamemus; quoniam beatam eam, benedictam, & omnibus seculis deprædicandam pronunciarunt. Aut si hæc cogitare, nedum proloqui nefas est, credamus quoque nihil esse propinquius DEO, quam esse Matrem DEI, etiamsi non sit DEAM.

Sed iam in sanguine suo narati Hypocrisi, suppetias latun: prumpit MENDACIVM. *Sit, inquit, beata, sit benedicta, sit honoratissima MARIAM, at non maiori ne pari quidem cum ipso DEO cultu eam prosequamur, & non faciamus DEAM.*

Marc. 16. Luc. 5
Act. 16. Rom. 4
Leu. 26. Deut.
21. & 30. II. 50.
Prou. 13. Eccl.
8. Matth. 5.
& 20. & 23. 2.
Tim. 4. Apoc.
22. &c.

Prodigiosum,
et innumeris
alijs factum
Mendacium,
MARIAM
à Catholicis vt
DEAM coli.

Ecce renascitur Lernæ Idololatricæ vñum caput: Abscis-
sum erat hoc ense; MARIA NON EST DEA. Repullulat;
& sibilat. Licet DEAM non fateamini; tamen vt DEAM
colitis; Amburendum est; Ecce titonem; MARIA EST
MATER DEI. Quid ais? Num & hunc titulum prisco-
rum Hæreticorum exemplo Mariæ vel inuides vel eripis;
atqui alterutrum est necesse. Aufer aut hunc MARIÆ ho-
norem; aut tolle mendacium tuum; Nam Catholicus ne-
mo vnquam natus inuentus est, qui MARIAM amplius
honorandam censeret quam Matrem DEI; Hæc omni-
um laudum quas humana mens excogitare, aut mortalis
lingua effari potest de Maria vel compendiū est, vel com-
plementum; MARIA EST MATER DEI; siue ad Mariæ
memoriam cælum suspicio, siue coram eius imagine in
terram me abjicio, id vñum efficio, vt contester MARIAM
esse Matrem DEI; Licet Mariam, gaudium, spem, salu-
tem, vitam tuam dicas, minus dicis quam si appellas MA-
TREM DEI. Voceseam Patronam, Dominā, Reginam,
non hominum tantum, sed cælorum, sed Angelorum;
adhuc amplius est vocari MATREM DEI. Quicquid in
Maria potestatis, dignitatis, virtutis est, inde est, quia Ma-
ter Dei est: Aliquid esset in quo Mariam vel homines alii,
vel Angeli antecellerent, nisi Mater Dei esset; Nunc infra
eam omnia sunt, quoniam Mater Dei est; quoniam Deo
homini sola post æternum illum patrem dicere potest,
Filius meus es tu, Mater & filius nomina pietatis officio-
rum vocabula, vincula naturæ, secunda post Deum fœde-
ratio; Quid hæc Mater & hic Filius? Vnum hoc forte
par natum est tam impium, & inofficiosum, quod huma-
num, quod diuinum fœdus conculcaret & dissiparet. Si-
nas igitur hominem Deum MARIÆ debere quod filius
matri debet secundum legem non solum à Deo scriptam

& pro-

Nestoriani ne-
gabant Mariā
DEI param di-
cendam. Vide
Acta Concilii
Ephesini &
Calcedonen-
sis.

Post diuinos
honorum ti-
tulos, qui soli
Deo tribuan-
tur, nullus po-
test esse illu-
strior quam
Matris DEI.

Pf. 2. Heb. 1.
D. Hier. ep. ad
Matrem vid.
& Filiam Virg.

Exod. 20.
Leu. 19.

& promulgatam, sed ipsis etiam humanis visceribus impressam. Sed ne carnem tantum aut sanguinem vrgere videar, Audi mi homo; Nonne tantum quemq; & hic inter homines & inter ipsos cœlestes Spiritus ac DEI sententiâ beatiorem censet, quantum fuerit fide, patientia, caritate præstantior? Atqui his omnibus necesse Mariam, omnes quotquot sunt, fuerunt, aut vnquam erunt fideles longè prætergressam esse; *Quo argumento, inquires? Hoc vno, quia fuit Mater DEI.*

Excutiamus fidem eius vtrum vis eam cum veterum Sanctorum, aut cum nostra fide comparemus: Certè nullius Veterum maiorem fidem nouimus, quàm Abrahami, qui in spem contra spem credidit; Et hac ipsa fide, quantum perfectior fides quæ non longè posita, sed ipso illo momento instantia credidit? ille in semine suo benedicendas omnes gentes, hæc ex utero suo Saluatorem generandum credidit; ille quasi per nebulam & umbram aspexit; hæc distinctè ipsa quasi penetralia diuini consilii intropexit; Patrem æternum; Angelum ablegantem; Filium in uterum descendentem; Spiritum sanctum obumbrantem. Volue, reuolue omnia à condito orbe vsque ad diem Legationis Angelicæ ad Virginem, quæcunque diuinitus reuelata, prophetata, adumbrata sunt fidei nostræ arcana, nunquam cuiquam inuenies, aut incomprehensæ Trinitatis, aut Filii DEI in carne prognerandi mysterium planius promulgatum, quàm MARIÆ denunciatum sit. Hæc igitur prima & sine exemplo beatissima mortalium credidit; vis autem & fructum Fidei huius cernere. Abrahami fides sic extollitur; Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam; MARIÆ vero Fides magnificentius prædicatur: Beata quæ credidisti quoniam perfecta sunt quæ dicta sunt tibi à Domi-

Matrem DEI, non solum cōnienēs, sed necessarium, summis Virtutibus omnibus Sanctis præstitisse. Gen. 15. Rō. 4. Act. 16. Matth. 8. et 15. Pf. 93. 2. Tim. 2. 1. Pet. Hebr. 10. Lucæ 7.

Fides MARIÆ

Rom. 4.
Gen. 17. & 22.

Abrahami et MARIÆ fides comparata.

Luc. 1.

Rom. 4.

Luc. 1.

B

no; Illo

MARIE Fi-
des Apostoli-
câ quoque
præstantior.
1. Ioan. 1.

Ioan. 20.

Fides nostra
hodie multis
persuasioni-
bus adiuua-
tur, quibus
MARIA ca-
ruit, atque id
eo Fide, omni-
bus præstitit.

MARIE pati-
entia & con-
stantia.
Luc. 22.

Io. 19.

no; Illo ipso quippe momento Marianæ assensus ac fidei, ille in mundum atque uterum Virginis venit, qui factus est nobis omnibus pax & iustitia. Vis & Apostolorum fidem considerare? Illi crediderunt, quod viderunt & audierunt, atque ut vnus ex ipsis ait, quod manus ipsorum contrectauerunt; quo ipso nonne apparet quanto intervallo Marianæ Fidei præstantia Apostolicam antegrediat, vel eo argumento quod ipse Christus suggerit; Beati qui non viderunt & crediderunt: Antè enim in I E S V M credidit quàm oculis vidisset, aut intra casta viscera concepisset; Antè Dei Filium adoravit, quàm in utero portavit. Qui verò postea fide excelluerunt, quiue, de nobis fide præstant, à Marianæ Fidei excelitate longissimè absumus; credimus .n. non modò post Christi & Apostolorum oracula, sed & post inaudita miracula, post innumerablem credentiũ exempla, ut hodie nõ tam laudi debeat esse credidisse; quàm ignominia in tanta Fidei luce, Fidẽ non habuisse. Concludatur itaq; ratio verè Matrem Dei, Matrem quoq; esse credentium; Vbi estis, qui omnia Sanctorum merita, omnẽ beatorum gloriã vna & sola Fide aestimatis? Certè si vobis mens & lingua constiterit, vel hoc nomine Mariam super omnes qui Fide salui facti sunt, eferetis

Simile est quod de Patientia & Cõstantia Mariana afferre possumus. Quam tu mihi maiorem monstrabis illa Apostolicã, ore Christi laudatã: Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis? Nisi in MARIA maiorem illa non reperies. Hæc enim & iuxta Crucem stetit, discipulis fugientibus. Iam verò ad quemnam sub cœlo, maior pars paupertatis, exilii, laborum, dolorum, cruciatuũ Christi peruenit, quàm ad MARIAM matrem eius? Si enim horum sensus ad MARIAM nullus pertinisset,

non fo-

non solùm Matris, sed mulieris, sed hominis quoque nomine indigna esset, & quavis Leånâ aut Tigride sæuior? Sin autem quæcunque Christus acerba passus est, eadem ante & supra omnes sibi acerbissima perferens MARIA, cur non secundùm sanctæ scripturæ normam & Apostolicam regulam, quæ est; vt compatientes etiam conglorificentur; credamus, quæ cum Christo plurimum perpeffa est Mater eius, eandem cum ipso magnificentissimè glorificatam esse? Neque hanc gloriam quicquam imminuit, quòd sanguinem ipsa suum non fuderit; scimus enim eius animam gladium pertransiisse, & nouimus pias affectiones matrum, quæ se pro filiis succidaneas victimas sæpè offerunt, & dum semel filius occiditur, vnã sæpè matrem millies emori. Neque verò hæc & alia omnia muliebriter MARIA passa est, sed viriliter ac fortiter; sexum virtute; naturam fide vnicens. Itaque nec sparsos crines, nec lacertas genas, nec caput allisum, nec brachia iactata, nec volutatum corpus, nec motus alios indecoros, aut lamenta muliebria Euangelista narrat, sed planè robur excelsissimi pectoris formatum ad cœlestem disciplinam cuius Canon est; In silentio & spe fortitudo vestra; Vixit igitur MARIA, & meritò Martyrum Regina ab vniuersa Ecclesia semper honorata est.

Caritas restat & Amor Dei, omnium Christianarũ virtutum absolutissima & præstantissima, qua etiam ipsa MARIAM supra omnes animas præcelluisse eo ipso quòd MATER DEI fuerit, nemo sanæ mentis dubitare potest. Quid enim causæ est cur Apostolorum charitatem maximè eximiam fuisse omnes credant, nisi quòd ipsa quoque Christi præsentia, & ignem illum cœlestem fouisse & ampliùs inflammasse non ambigamus?

Rom. 8.

Luc. 2.

Is. 10.

MARIA DEI
amore supra
ipsas cœlestes
animas semp
arsit.

Luc. 10.
Ioan. 20.

Maternis offi-
ciis Christo
præstandis,
Caritas in
MARIA, mi-
rabiliter in-
flammata est

Matth. 25.

Priuilgium
Matris DEI,
cuius omnes
alias matres.

Quis nostrum tam vecors est, qui non existimet, quocun-
que tandem amore DEVM complectatur, eum incredi-
biliter ipso Christi aspectu accensum iri? An frustra Chri-
stus dixit? Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, Beati
quidem illi quoque qui non viderunt & crediderunt; Sed
illi quoque beatiores, quos DEVS dignatus est vt vide-
rent quod crederent, quia nouerat eos credituros, quam-
uis non viderent. Quid? cœlestis ille calor Amoris DEI,
nonne immensum excreuerit Christum lactando, fouen-
do, amplexando, osculando, alendo, vestiendo, & omnia
materna officia vsque ad virilem ætatem & triginta an-
nos perpetuos præstando? *Et hæc inquis humana sunt &
naturalia;* Sed nescis hæc humana cœlestibus donis & gra-
tiâ remunerari solere? Quod si æternam illam mercedem
iis promittit, qui minimo fidelium aliquod officium ex-
hibeant; indonata illam abire sinat, quæ ipsum illum
in carne viuentem progenerauit & educauit? Ego qui-
dem ita censeo, idq; rationibus magnis euinco, MARI-
AM, filium suum vehementius & ardentius amasse, quàm
vlla vnquam mater alia potuerit filium suum amare; Non
enim fuit ea solum ratione vnica, quæ alioqui solet esse
vehementissimi amoris causa, quòd nempe nullam aliam
prolem atque adeò amorem quodammodo haberet in-
diuisum; sed quòd vnica erat filius, totusq; ac solius ma-
tris secundum hominem; Cæteri filii hominum, patrem
ac matrem habent, neque pater matri de amore aut iure
suo facilè cedit; Hic totum ius & totus amor vnus matris
est, sola Maria, Mater est, quæ filii sui, nullum patrem a-
gnoscat, nisi quæ suus non est; ipsa maternum & pater-
num affectum & effectum præstat. Quid mirum ergò si
talem natum plus dilexerit, quàm vlla vnquam mater
prolem suam amauerit? atque adeò nisi MARIAM cen-

tes tam

ses tam impiam, quasi natum suum minus amauerit, quàm Deus quàm quàm homo & Filius erat; necesse est fateare, mortalium ac fidelium cæterorum mentes vnâ ac simplici quadam erga Christum arsisse flammâ; MARIAM autem tergemina & multiplici face diuini amoris succensam, totam instar Seraphinorum fuisse ignâ. Quod si ipsa plus CHRISTVM, id est, hominem DEVM adamauit, quis neget magis ab ipso cæteris omnibus redamatam, atque adeò plus honoratam, excelsius locatam, magnificentius remuneratam esse.

Vides ergo in hoc DEI MATRIS nomine omnes MARIÆ laudes contineri? Meritò igitur sancta Elizabetha in huius MATRIS & FILII eius laudes effusa, vt aliquid tantâ dignitate par proferret, exclamauit; Et vnde hoc mihi, vt veniat MATER DOMINI MEI ad me? Magnam esse, benedictam, beatam esse; Sed quanto maius, esse MATREM DOMINI NOSTRI ac DEI NOSTRI? Nam quæ MATER DEI est, solo Filio inferior est, cæteris autem omnibus superior; hoc ipso, quòd ILLE, à quo sunt omnia, quadam tenus ab IPSA est. Ipsæ cœlestes animæ, eam qua perpetuò fruuntur felicitatem, CHRISTO debent, non solum quàm DEVS ab æterno est, sed quàm in tempore HOMO natus est. Et licet beauerit Angelos antequàm nasceretur; debent tamen ei Beatitudinem suam acceptam referre, quia certè virgineo utero proditurus, sanguinem fusurus, & in corpore passurus erat; An non igitur & Angelis præferatur ILLA, per quam habuit Christus, vnde & homines redimeret, & Angelos bearet? An illa Mater nõ extollatur meritò super omnes, per cuius Filium omnes qui in cœlo sunt, aut erunt, perpetuâ felicitate perfruuntur.

Nulla humana Eloquentia, MARIAM magis laudare potest, quàm quod sit Mater DEI.

D. Bernard. Serm. 22. Super Cant.

Maria multi-
plici iure super
omnia creata
honorari de-
buit, vt Mater
DEI hominis
& Legislatoris.

Philip. 4.

Heretici Men-
daces studiofi-
us vestigant
in Scripturis,
vt inueniant,
quo MARIAM
quàm quo Di-
abolum oppu-
gnent: Sed nõ
mirum si plus
oderunt Ma-
trem DEI, quã
patrem suum
Diabolum, qui
mendax erat
ab initio.

Ioan. 1. & 19.

Marth. 12.

Atque vt ad principium, imò ad Trophæum rede-
am; quid est cur neges MARIAM à FILIO suo super om-
nia quæ ab illo creata sunt honore euectam esse, si id vt
DEVS, pro maiestatis infinitate efficere potuit; & vt
HOMO pro clementia sua voluit; vt LEGISLATOR pro-
pter exemplum debuit? Vt Matrem ergo DEI honora-
mus MARIAM super omnes alios Vnam, sed longè
minùs, quàm Vnum illum DEVM DEI, & huius MA-
TRIS FILIVM. Nec quã MATER quidem est, FI-
LIO eam qua HOMO est præferimus; quid præferi-
mus? nec adæquamus? quid adæquemus? longiori in-
teruallo ab eius dignitatis excellentia distare credimus
quàm verbis explicare possimus; Neque enim si credo
labe puram, parem FILIO credo; Etiam primus homo
labe purus erat creatus; nunquid ideo DEO par aut æ-
qualis; neque si per CHRISTVM omnia EAM pos-
se confido, CHRISTI aut diuinam potestatem tribuo;
Nonne mortalem nouimus, qui viuens adhuc fateba-
tur; Omnia se in eo posse qui se confortaret? Itaque MA-
TREM DEI dicimus; non DEVM, ne DEAM quidem;
quanquam & ipsum DEÆ nomen quia sexum notat, di-
uinitatem abrogat.

Sed adhuc seminecem linguam vibrat multiceps,
sed trunca bestia; *At ipse filius Matrem suam quam tantis
effertis preconis, ne hoc ipso quidem Matris nomine vnquam di-
gnatus est. Mulier à filio iteratò ac sæpius appellata est, non Mater.
Tum auditus est, omnes eos qui Deo obsequerentur Matri equi-
parare. Quàm paucis verbis quantum veneni latet. Nus-
quam narrant Euangelistæ CHRISTVM MATRIS no-
mine suam Matrem appellasse; igitur nunquã eam MA-
TREM appellauit; Hæc est fides qua in scripturis sacris*

versan-

versantur isti; Eadem ratione argumentari possis, CHRISTVS in Euangelio nusquam legitur à Matre lactatus aut alio modo nutritus, aut vestitus esse; ideo ab ipsa infantia vsque ad tricesimum annum lacte, cibo, veste, semper caruit, nisi fortè dicas panniculos illos quibus eum Mater inuoluerat, cum corpore adolescente creuisse. At mihi tam certum est suauissimo MATRIS nomine MARIAM frequentissimè à Filiolo suo salutatum, quàm certum est eius vberibus lactatum, brachiis gestatum. *Cur igitur, inquis, Euangelistæ non narrant?* at ego; cur & illud tacent? Quid opus fuit ea recensere quæ nihil peculiaris mysterii habent, quæq; aliunde sunt manifestissima. Quanquam si MATREM nunquam eam nominasset, an ideo Mater non fuisset?

Tria tamen tempora narrant Euangelistæ, quibus humanitùs rem æstimanti videretur opportunum fuisse, vt MARIAM Christus MATREM appellaret; In templo cum dolorem suum Mater exposuisset; In nuptiis cum vini inopiam FILIO declarasset; sub Cruce dum sola morienti assistisset; sed si ex fide sincera hæc æstimes, per opportune etiam tum Matris nomine abstinuit: In templo quidem humana MATER non agnoscitur vt cœlestis Pater placetur; atque ut scias vbi DEI causa agitur, humanos affectus seponendos esse; ille qui extra templum in domo materna non tantum vt filius parentibus, sed vt mancipium spontè Dominis subiectus est; in domo DEI paterna sic agit tanquam necessitudinem sanguinis ignoraret: In nuptiis quoque quoniam diuina potentia miraculum patraturus erat, vt se PATRIS æterni FILIUM doceret, quod præsentibus ignorabant, maluit MARIAM mulierem quàm MATREM appellare; ne nihil præ aliarum matrum Filiis peculiare habere crederetur; simul vt intelligeretur

Christus Mariam Matris nomine non minus blandè compellauit, quàm opportune abstinuit interdum præsertim vero ter

Luc. 2.

Io. 2:

Io. 19.

1. Dum in templo inueniretur.

2. Dum miracula patraret.

3. Dum in cruce penderet

quod MATREM haberet in terris, non vt in cæteris hominibus necessitatis, sed electionis ac gratiæ fuisse. Quod autem ne in Cruce quidem nomine blandissimo MATRIS vsus sit; id quoque vel ad solatiolum aliquod, vel ad dignitatem Sanctissimæ matrum spectauit. Potuit amabilissimum MATRIS nomen in tam acerbo FILII casu, maternum pectus vulnerare, aut inimicis astantibus vtriusque irridendi causa esse. Fortassis etiam tantam in MATRE sua CHRISTVS cognouit constantiam, quæ concessa ac debita naturæ vel sanguini blandimenta iam non requireret, & miserabilis ac communis hominum sortis memor; mulier hoc tempore, quàm MATER dici mallet; ne vel pristinæ modestiæ & humilitatis oblita, aliquid amplius cæteris mortalibus sibi arrogare, aut salutis publicæ per FILII sanguinem & mortem recuperandæ, non egere videretur.

Christus tantum amat & honorat Matrem, vt quoscunque caros habet, Matres vocet.

Quod verò tandem eos qui faciant voluntatem Patris sui, matris, fratris, & sororis nomine CHRISTVS dignatus est, id nõ ad minuendam, sed ad augendam potius MATRIS dignitatem pertinet. Primum enim non de sola MATRE sermo est, sed de tota cognatione sanguinis; neque comparisonem CHRISTVS inter MATREM suam & alios fideles illic instituit, sed id duntaxat docuit, sibi non minus cordi esse, vt minimi quique ad salutem per Euangelium, quod annunciabat venirent, quàm illi qui essent propinquissimi secundum carnem; omnemque se malle curam cognatorum deponere, quàm eam ad quam à PATRE missus erat functionem Euangelii annuncian- di, propter ipsos deserere. Quod si etiam solius MATRIS mentio facta esset, eo ipso non parum honoris accessisset; quod CHRISTVS docuisset eos qui cælestibus mandatis diligenter obsequerentur propè ad eam honoris excel-

sitatem

litatem peruenturos, ad quam ipsa, quæ cum peperisset, MATER euecta esset;

Sed quid agimus? nostrum est de Mendacio triumphare, non belligerare modò; Firmemus igitur Trophæum aduersus Mendacium. MARIA EST MATER DEI. Nullum maiorem honorem MARIE, Catholica defert Ecclesia quàm qui deceat MATREM DEI; neque minus neque amplius eam venerandam atque colendam docet. Nimmùm ille profectò eloquentiæ suæ confidit, aut potentiæ DEI diffidit, qui suis verbis sperat MARIAM se illustriori laude exornare posse, quàm si appellet MATREM DEI. Ut enim nihil in hoc vniuerso, DEO perfectius & absolutius cogitari; sic nihil eidem propinquius, gratius aut carius fingi potest aut debet, quàm MATER eius, nisi NATVRÆ CONDITOR NATVRAM ipsam inuertat hac vna in re, in qua suam bonitatem maximè monstrare debuit; cum in eadem nostram pietatem imprimis elucere voluit, atq; sub graui pœna sanxit. Hoc cine ergo tandem est debitos SOLI DEO honores, MARIE tribuere, aut supra conditionem suam attollere? Non est profectò, non est. Sed MATRIS DEI nomine calcatum & minutissimè contritum est grande & fecundum Mendacium, cum innumerabili & pestilente sobole sua minutiorum mendaciorum, super quibus cumulatis prostratis altissimè Trophæum hoc defigimus aureis literis præferens MATREM DEI, quod veluti sublatum

Laudationum omnium signum, cætera præconia,
& encomia latissima & amplissima
consequantur.

C

TRO.

Matris DEI
nomen magna
& multa mendacia
Hæreticorum sternit.

TROPHÆVM TERTIVM.

Argumentum.

Traducunt Heretici Catholicos per ora hominum, quod plurimas Legis veteris res gestas, Caremonias & Vaticinia, qua CHRISTO Soli tanquam DEO ac homini conueniant, MARIAE Matri eius tanquam ipsam prauunciassent, attribuunt, atque aded vt MATREM extollant, FILIVM DEI deprimant, eumq; debito honore spolient, vt eodem MATREM exornent. Hac intolerabilis CALVMNIA est, aduersus quam Trophaeum tertium ponimus.

DIVÆ MARIAE, VETERIS TESTAMENTI
MIRACVLIS ET ORACVLIS DE-
PRÆDICATÆ V. S.

Calumnia faeliciter obtrita.



VIDEN' quod Belua inscriptum gerit grandibus literis Elogium? CALVMNIARE AVDACTER, SEMPER ALIQVID HÆRET. At iam hærebit mucro in gutture tuo, Loquere peritura. Ignosce, inquit, FILI DEI. Sacrilegium Papistarum non probo, sed commemoro. Extra numerū illis es. IPSA, IPSA, IPSA conteret caput Serpentis. Licet limpidissimis fontibus Hebræorum IPSE monstretur; licet septuaginta Senum sapientissimorum auctoritate IPSVM (SEMEN) inculcetur; tamen his contemtis à Papistis nobis IPSA obtruditur, IPSAM volunt; Mulierem non Virum; Matrem non Filium; MARIAM non IESVM. Hæc illa; Sanè secundum Symbolū suum appositè; nec enim potuit audacius aut explicatius CALVMNIA. Sed nunc vicissim ferrum recipe. Vbi vnum satis esset,

tria verba

Grauis calumnia, primam de CHRISTO Prophetiam à Catholicis obscurari, & à IESV ad Mariam transferri. Medius quidam apud Plutarch. Licet curetur vulnus, quod fecit Calumnia, cicatrix tamen manet. in lib. de diser. Adu. lat. & Amici.

Gen. 3.

tria verba inuenio; Legitur alicubi IPSE conteret. Nonnulli IPSVM (Semen) conteret. IPSE, per placet; IPSA, non displicet. IPSVM probo. IPSE, IPSAM & IPSVM non excludit; IPSE & IPSVM vnum est, IPSE & IPSA hostes non sunt. Nemo vnquam Catholicorum vlli mortalium conuitium fecit, qui vel IPSE vel IPSVM legere mallet; IPSA verò in vulgata tot annorum sæculis confirmata Editione reperimus & maluimus excusare, quàm acculare venerandam Antiquitatem, eiusdemque verba rectè potius interpretari, quàm temerè condemnare. IPSA, IPSA inquam conteret. *At IPSA non est IPSE; igitur si IPSA conteret, non conterit IPSE; Quare aut nihil profuit IPSE; aut nihil opus fuit IPSO;* Vides bilinguis bestia volumina? IPSE, sed natus ex IPSA; IPSVM Semen, sed MULIERIS Semen; IPSA, sed non ex seipsa, non sine IPSO, IPSE propter IPSAM, & propter IPSVM SEMEN, hoc est, VNVS propter OMNES. IPSA autem & OMNES per IPSVM. Deinde vide omnem verborum contextum; nonne necesse est IPSAM quoque admittere; Inimicitias ponam inter te & Mulierem, inter Semen tuum & Semen illius. IPSE conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Cuius calcaneo insidiabitur Serpens? An IPSI tantum, hoc est, Semini mulieris, non autem IPSI Mulieri insidiabitur? Hoc si dicis, illum mendacii arguis qui dixit, Inimicitias ponam inter te, & Mulierem. Vbi inimicitia, illic insidia. Quod si inimicitias inter Serpentem & Mulierem nō inficiaris, quis erit huius inimicitia exitus? quis tandem in hac pugna superior euadit? Mulier, an Serpens? Si Serpens; ergo fefellit qui promisit IPSE conteret caput eius. Quomodo enim contritum est, si Mulierem sternit? Sin & Mulier tandem superat, igitur & IPSA conteret caput eius, nisi .n. & illa contereret, conterere-

IPSE ex septuag. IPSVM ex Hebr. Ipsa & Ipse ex vulgata versione. Vide Bell. tomo 1. Contr. 1. lib. 2.

Prophetia illius nihil interest, an legatur, IPSA conteret, an ipse, an ipsum conteret.

IPSA, nulla ratione à Prophetia illa excludi potest.

tur, Imò IPSE conteret, Sed IPSA hoc inquit perfruetur. At hoc est quod dicebam; IPSA conteret, non sine IPSO, sed per IPSVM: IPSE quidem victor suâ ipsius potentiâ; IPSA autem victrix, ipsius clementiâ.

Sine contumelia Christi Adamo, Patriarchis, Apostolis, fidelibus omnibus accommodati quodammodo potest illa propheta, Ipse conteret.

Hebr. 11.

Luc. 10.

Ad Eam quoque necessario spectat illa Propheta, Ipsa conteret. &c. Ps. 99.

Adhuc consultò nominibus abstinui. Quis enim ille est, qui IPSE conteret? Indubitatò CHRISTVS est; Sed dic mihi bellua; si sic ratiociner. Adam quia credidit ex posteritate sua descensurum, qui caput Serpentis contereret; ideo & ipse eiusdem contriuit Serpentis caput; nõ valentiâ propriâ, sed fide sua; Estne quod in hac ratiocinatione meritò reprehendas? Nunquid verò & cæteri Patriarchæ, Prophetæ, & Sancti DEI, q̄ Fide salui facti sunt, cum Idololatriam pessundarent, cum crimina, mandatis DEI aduersa profligarent, caput antiqui Serpentis contriuerunt? Et Apostoli qui potestatem acceperunt calcandi super serpentes, & super scorpiones, & super omnem virtutem inimici, nunquid præterea fide quoque, caritate & Zelo caput Serpentis contriuerunt? Et quis est hodie tam peccator, qui si fidem suscipiat, & pœnitentiam agat, nõ & ipse caput Serpentis cõterat? Ergo qui caput Serpentis IPSE conterat, Solus CHRISTVS est, IPSE pro omnibus contriuit, atq; ad eò contriuerunt OMNES p̄ IPSVM, siue nascendũ sperauerunt, siue in terris versantem coluerunt, siue in cœlis triumphantem adorârunt.

Similiter de Muliere ratiocinemur: Quid enim prohibet quò minùs credam verè de Eua dictum esse, IPSA conteret caput tuum, quoniam ex posteritate eius oriundus erat Magnus ille qui ambularet super aspidem & Basiliscum, qui conculcaret Leonem & Draconem; Nonne ergo & Eua caput Serpentis contriuit, quando olim ex se sic generandum CHRISTVM Seductoris dormitorem credidit? Nonne caput eius contriuit, quando

cul-

culpam in Paradiso commissam in exilio planxit? Quid interest vtrum dicam, IPSE CHRISTVS qui est Semen mulieris Eux, conteret caput tuum; An semen mulieris Eux, conteret? An, Semen Mulieris conteret propter Euam? An, Eua mulier conteret per Semen suum qui est CHRISTVS? Quid interest magnoperè siue fatear CHRISTVM pro Adamo & Eua atque omnibus fidelibus contriuisse caput Serpentis; siue Adamum & Euam ac fideles omnes per CHRISTVM caput id pessum dedisse.

Ecce per quot anfractus ad MARIAM demum venimus? Quid est ergo tandem causæ, cur MARIÆ soli hunc honorem inuideatis, & sacrilegū putetis de ea pronunciare, IPSA conteret caput tuum? An non contriuit fide, cum Angelo mirissima post Orbem conditum prædicenti credidit? An non contriuit castitate, cum omni se etiam concessâ voluptate abdicauit, firmavitq; animum; Virum non cognosco? An non contriuit Modestiam, se Ancillâ Domini professa? An non contriuit, cum in legationis cœlestis causam prompta consensit? An non hæc mulier melior quàm Eua? Si ergo Eux sine CHRISTI iniuria accomodamus hanc promissionem, IPSA cõteret caput tuum; cur non eandem MARIÆ quoq; credamus conuenire? Imò cuius mulieris Semen magis fuit CHRISTVS Eux an MARIÆ? *At prima omnium Prophetia ac promissio de CHRISTO obscuratur, si legamus IPSA conteret.* Falleris & fallis; In hoc .n. loco IPSA ab IPSO separari omnino nõ potest. Itaq; si IPSA, tum p IPSVM conteret; si IPSE, tum p IPSA conteret. Nam cum posuerit DEVS cõmunes Mulieri & Semini eius inimicitias cū Serpente, cõmunem etiam futurâ Mulieri & Semini debes intelligere victoriam, CHRISTI quidem virtute, sed Mulieris Bono partam. Nequaquam igitur IPSAM SEMINI suo anteponimus,

IPSA conteret, de Maria verifimè prophetatum.

Luc. x.

Idem profus necesse est credi seu Ipsa seu Ipse, legas.

non filio Matrem, non MARIAM CHRISTO. Imò si non vna tantùm MARIA, sed centum; sed mille, sed myriades Virginum exstitissent aut exsistere potuissent, quæ modestiâ, quæ castitate, quæ ceteris ornamentis pares MARIÆ nostræ fuissent, neque tot Marias Christo æquiparare nedum anteponeere vellem. Nihil MARIÆ assigno, quod non certa ratione modoque, omnibus piis ac sanctis fidelibus ascribere possim, præter hoc vnum, quod omnibus aliis excelsius credo, quoniam est MATER CHRISTI. Si MARIAM beatis omnibus, mille gradibus anteponerem, CHRISTO ipsi tamen postponerem, non decem tantùm, non centum, non millies millibus, sed inexplicabili spatio. Quid adhuc obgannis impudentissima bestia non serio sed dicis causa hæc a me sic dici? Ego verò iam tibi istam scelestam linguam vsq; ex penitis faucibus exuellam. Ita IESVM meum habeam ppitium, vt ego nunquam alia mente aut sententiâ quicquam laudis aut præconii MARIÆ tribuo, quàm vt eam adhuc FILII excelsitate inæstimabili distantia, inferiorem credam aut profitear. Neque vllum Encomium quod diuina scriptura CHRISTO tribuit, in MARIAM relatum, CHRISTI potentia derogat, sed eius beneficentiam in MARIAM prædicat.

Calumniatores Hæretici, ne iuratis quidem Catholicis eredunt quòd Mariam Christo non anteponant.

Christus Paradisus voluptatum est, & sine eius contumelia, idem de aliis Sanctis affirmari potest.
Gen. 2.
Coloss. 2.
2. Corinth. 11.

CHRISTVS Paradisus voluptatum est, sed magnitudine & vbertate interminâ, vtpote in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Quòd si S. Paullum Apostolum ob cœlestium donorum quibus ornatus fuit multitudinem, ob virtutum præstantiam, ob admirabilem caritatem, ob incredibilem patientiam & ardentissimum Zelum, & quæcunque in eius laudem copiosissimè afferri possent, Paradisum voluptatis vocarè;

An quic

An quicquam CHRISTI dignitati detraherem, cum fatear Paullum hæc à CHRISTO solum accepisse, sed ab illius perfectione tantum adhuc abfuisse & amplius quantum omnis hortorum nostrorum amœnitas à Paradisi illius veteris deliciis abest? Sic vnumquemque Sanctorum aut iustorum hominum, & omnem animam, quam cœlestis ros rigat; cui DEI fauor aspirat, seu flores virtutum seu fructus patientiæ proferat, Paradisus voluptatis est, & quasi deliciæ numinis æterni. Et cur sola MARIA non sit Paradisus voluptatis? non immensæ amplitudinis, sed suis quamuis amplissimis terminis circumscripta. Et cur non cum Paradiso comparem eam, in qua vernat candor puritatis, viror modestiæ, rubor patientiæ, fulgor caritatis, fructus vitæ & immortalitatis, quæq; cœlestis gratiæ vbertate tanquam fluminibus irrigatur, quoniam est gratiâ plena. In illa Paradiso prima, post meridiem DEVS aliquando inambulat; cum hac perpetuò versabatur, vt & Angelus profiteretur, Dominus tecum; quin & ipsum illum DEVM nouem totis mensibus in vtero gestauit, ac vsque ad triginta annos familiarem, domesticum ac filium habuit.

Libet MARIAM vocare Lignum vitæ; Quidni? Nonne fructum vitæ protulit, & cum quidem de quo Vita ipsa dicit: qui manducat ex hoc, viuet in æternum? Aut quid prohibet, quo minùs per lignum vitæ MARIAM prænunciatam, per fructum eius Filium significatum gloriemur? Non solum enim fructus eius benedictus, sed ipsa quoq; benedicta, ab Angelo vocitatur. Placet MARIAM celebrare tanquam scalam Iacob, per quam descendunt & ascendunt Angeli. Quippeni? Nonne ad MARIAM Angelus cum mandatis missus, & optato responso accepto remissus ad cœlos est? Nonne credis Angelos in vtero

Necesse est MARIAM magnopere exotam esse Hæreticis, cum quicquid ei laudis tribuatur, illis suspectum sit.

Luc. 1.

Gen. 3.

MARIA Lignum vitæ.
Gen. 2.

Ioan. 6.

MARIA scala Iacob. Gen. 28.

Quod Christo
per naturam
assignatur, idē
sape MARIÆ
& Sanctis per
gratiam com-
municatur.

Omnium eo-
rum quę in Li-
taniis Maria-
nis aut aliis,
MARIÆ ad-
scribimus, par
& eadem est
ratio.

Illę laudes,
quę ex simili-
tudine rerum
humanarum
& terrestrium
sumuntur,
quia DEI per-
fectionem
nunquam sa-
tis exprimunt,
tuto MARIÆ
& Sanctis tri-
bui possunt.

Virginis latenti creatori suo ministrasse, Virgineum latus
stipasse, inde in cœlum, de cœlo illuc vtrò citroq; com-
measse. Dices *CHRISTVM potius ea scala designat*. Non re-
pugno, id mihi satis est, quod etiam in *MARIAM* quadrat.
Et vide discrimen; *MARIA* scala cœli est, per quam *DEI*
Filius ad nos descendit. *CHRISTVS* scala cœli est, per
quam nos in cœlum ascendimus. Isto modo *MARIAM*
scalam quasi cœlorum non temerè cognominaverim, ni-
si quantum deprecando nos adiuuat. Ille autem solus
hanc nobis viam aperuit, absolutâ potestate ac meritò
passionis suę. Imò licet *MARIAM* quoque cœli scalam
vocitare non verear, tamen si absque hac altera scala
CHRISTO fuisset; nec ipsa ad cœlum peruenisset.

Quid porrò singulis immoror? Vna est omnium ra-
tio, quę siue de Prophetis, siue de historiis, siue de figuris
veteris Testamenti in laudem *MARIÆ* vel Ecclesia com-
muniter, vel pro suo quisq; sensu refert. Ad *CHRISTVM*
enim plerasq; præcipuè ac primariò pertinere lubentes
fatemur: Ad *MARIAM* autem non aliter spectare, quàm
propter *CHRISTVM*, quem illa beatissima mundo Salua-
torem edidit; non vt *CHRISTO* superiorem, non vt parē
faciamus, quod toties dicendum est, sed vt humanitatem
CHRISTI ex *MARIÆ* visceribus prognatam, ingemina-
tâ vbiq; Matris mentione celebremus.

Demùm nihil periculi est, vt per eiusmodi vel mi-
racula vel varicina *MARIÆ* applicata, quicquam *CHRIS-
TO* auferatur, quoniam pleraque ex rerum humanarum
terrestriumq; & quę sub sensum cadunt, similitudine de-
sumpta sunt, quęq; ideo *CHRISTI* absolutissimam & in-
finitam virtutem, potentiamq; nunquam satis attingere
aut depingere, atque adeò aliter atq; aliter considerata,

non fo-

non solum ad MARIAM, sed ad alios homines sanctos & iustos transferri possent.

Quod demum totas de MARIA ex eiusmodi praesagiis, signis, umbrisque veteris Testamenti Litanias contexamus, easque saepius de MARIA quam de CHRISTO inculcemus, haec ipsa quoque causa est, quae gulam calumniae frangit, quod MARIAE sine CHRISTI memoria meminisse non possim; non enim nisi per CHRISTVM & propter CHRISTVM eius laudes praedicamus, atque adeo non tam MARIA quam CHRISTVS ipse celebratur, per cuius gratiam solum MARIA tanta quanta quanta est, praedicabilis est; Tum etiam cum semel inclamamus IESU CHRISTE FILI DEI, miserere nobis, amplius quid significamus, quam per mille figuras, similitudinesque exprimere ac significare possimus. Exemplum vide. Quae potest esse speciosior comparatio, quam ea quae de Sole sumitur? Atqui quomodo ea ad CHRISTI infinitam pulchritudinem explicandam sufficiet, quando quiuis iustorum fulgebit sicut Sol, in regno Patris eorum? Ideo ipsa scriptura, similitudines quae CHRISTO prius, postea hominibus accommodat. Nam CHRISTVS quae DEVS est, siue ipsa Deitas, non nisi paucis, imo vix ullis verbis est effabilis. Quae vero CHRISTVS homo est, seu ipsa Humanitas, nec ad fidem verius, nec ad sensum suavius est explicabilis quam MARIAE Matris eius mentione.

Quin ergo figimus tandem Trophaeum in corde Calumniae & abditissima scripturae penetralia peruestigantes, quicquid nobis MARIAE Matris memoriam quoquo modo ingerit, id ad commemorationem & praedicationem beneficii quod per CHRISTI humanitatem quam ex MARIA suscepit, nobis collatum est, non solum Litanis precantes misceamus, sed etiam alias, si non semper at saepe

Frequentior memoria MARIAE, sine Christi memoria haberi non potest.

Matth. 13.

Ioan. 8. Ego sum lux mundi. Matth. 5. Vos estis lux mundi &c. innumera.

Haereticorum Calumnia grauius puniri non potest, quam perpetuandis laudibus Marianis.

D

tamen,

tamen, & verbis exornemus, & coloribus depingamus, & ritibus ac cæremoniis representemus, & vocum nervorumque symphonia conclebremus, atque adeo omnes anguli, casæ, domus, templa, fora, campi, silvæ, ipseque æther MARIÆ matris nomen & CHRISTI Filii eius laudes resonet;

Ex carmine
Votiuo, Oe-
tingæ Vete-
ri in Bavaria
Mariæ dedica-
to, à clarissi-
mo & doctissi-
mo Domino
Philippo Men-
zelio Med.
Doctore &
Professore in
Academia Ba-
varica.

*Altera tu meliorq; venis mortalibus Eva.
Semine Diva tuo, versatilis acre colubri
Obtritura caput; Verus te matre sub auras
Emergit Salomon; niueum Gedeonis & illud.
Tu vellus, madidas intactum rore per herbas.
Turubus in medio flagrans imperditus igne.
Araonis tu Virga, suo qua stirpe recisa
Dat mirata novas rediuvio vertice frondes
Tu campi flos graminei; tu lactea præstas
Qua circum rigidis stipantur lilia spinis.
Tu rosa blanda, Cedrus viuax, umbratilis Orbi.
Tu platanus, lateque comis spectata Cupressus;
Palma Triumphatrix, prænuncia pacis oliua;
Et florum Ambrosios exhalans hortus odores
Conclusus, tu (quod perhibent oracula) tersum
Labe procul speculum, fons viua vberimus unda
Signatus, pacti sanctissima fœderis arca;
Nauifragi sidus pelagi, Davidica turris;
Vrbs summi, Templumque DEI, porta ætheris olim
Obstructi referata. At quo tot nomina versa
Eloquar? Vnde mihi tanta hæc facundia Virgo?
Pulchrior Aurorâq; & Sole serenior ipso;
Tu stellis innexa caput, vestitaq; Sole
Aurifluo, Lunâque pedes effulta bicorni
Fœmina; te Septemgemino Draco sæuus hiatu
Appetit exundans, & inanes euomit iras.*

TROPHÆVM QVARTVM.

Argumentum.

Blaspemi Ministri Verbi, blasphemia condemnant Catholicos quod MARIAM Matrem Dei suam apud Filium DEI Aduocatam, Patronam, Deprecatricem constituent, eoque nomine frequentes ad eam preces fundant: Hinc Christi memoriam aboleri, meritum eius passionis imminui, ipsam quoque diuinam potestatem MARIAE assignari. Aduersum quam criminationem Trophæum hoc statuendum est.

MARIÆ COMMVNI FIDELIVM AD-
VOCATÆ ET OPT. MAX. PA-
TRONÆ S.

Excisa Blasphemia.

HOC ET A sceleribus Calumnia, Blasphemiâ, quam ipsa peperit, Catholice supponit & imponit Ecclesiæ. VNVS est, inquit, Mediator Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS. Et, Aduocatum habemus apud DEVM qui interpellat pro nobis. Quid ergo MARIA indigemus Aduocatâ, Mediatrice, Patronâ? Cur CHRISTO IESV MARIAM vel antepontis, vel tanquã Aduatricem apponitis? Vt vnum CHRISTVM, sic vnum Aduocatum, Mediatorem, Patronum Dominum agnoscimus, satis ille Auctoritate, meritis, gratiâ valet apud æternum illum Iudicem, vt femineâ hac aduocatione atque patrociniò non sit opus, nisi CHRISTVM suo munere ac gradu deturbare velimus, vt eius loco MARIAM collocemus. Sesqui plagâ hæc bellua conficienda est. Aut enim hæc nomina, sic sibi CHRISTVS soli vendicat, vt ea nullâ ratione vlli mortalium attribui velit.

Fucatis integumentis obuolutam Blasphemiam, obtrudunt Hæretici Catholicis.

1. Tim. 2. Hebr. 8. 9. 12.

1. Ioan. 2.

Non multum abest, vt odio MARIÆ, Hæretici omnem sermonis vfati consuetudinem aboleant.

D 2

Tollenda

Tollenda igitur erunt ex sermone & consuetudine hominum; Et quisquis se quomodocunq; Patronum, Aduocatum, Mediatorem appellari desiderauerit, non minùs sit execrabilis, quàm ille qui se Deum haberi & nominari voluerit. Aut verò humanis in negotiis ac causis Aduocatos, Mediatore, Patronos tolerare quidem licet. Apud Deum autem Vnus ac solus Aduocatus & Mediator agnoscendus est, ac prædicandus CHRISTVS IESVS, qui non humili solùm prece, sed nobili pretio, non alieno favore aut cruore, sed meriti sui decore, & proprii Sanguinis honore pro omnibus per semetipsum accedat ad Deum.

1. Ioan. 1.

1. Pet. 1.

Heb. 2.

Vnus tantum Patronus, Aduocatus, Mediator apud Deum, sed per illum plures.

do. z. h. om. n. g.

h. l. l. i. n. t. u. l. o. n.

do. m. b. o. r. d. i. n. g.

c. r. i. s. t. i. a. n. u. m.

a. b. i. h. e. d. i. c. t. i. o. n. e.

a. d. a. l. l. i. g. e. n. t. i. a.

c. i. e. s.

. 2. . 2. 2. 0. 1. 1.

Num. 16. 1. 0. 0. 1.

2. Mach. 5. 1. 0. 0. 1.

Math. 5. Luc. 6.

1. Timoth. 2.

1. Timoth. 2.

1. Timoth. 2.

1. Timoth. 2.

Quisquis igitur vel MARIAM vel quemcunq; cælestium Spirituum, aut hominum beatorum tali notione Patronum, Aduocatum, Mediatorem suum vocauerit, Blasphemix reum faciamus. Nihilominus tamen Aduocatos, Patronos, Mediatore quoque vocemus fidenter MARIAM, Angelos, Beatos, imò fideles omnes adhuc mortales; *Quomodo ergo, inquit, vnus, si plures?* Sit ille vnus homo CHRISTVS IESVS solus Aduocatus, Patronus Mediator apud Deum; Isti autem apud hominem illum vnum CHRISTVM IESVM vel per illum quoque apud Deum; Nam hic homo etiam DEVS est, ille igitur pro omnibus per se, isti autem omnes per illum; Ergo solus & vnus ille, quia nemo quemadmodum ille Patronus, Aduocatus, Mediator est. Quin ipse ille vnus Mediator vult, iubet, vt apud se, imò apud DEVM, sed per se multi multorum, imò omnes omnium Aduocati, Patroni Mediatore sint. Ille enim est, qui nos, pro persequentibus nos orare mandauit; Ille est, qui per suos Apostolos præcepit orationes, obsecrationes fieri pro omnibus hominibus; Et

shello.1

s. 1.

vt omnes

vt omnes orent pro inuicem vt saluentur. Cur autem mihi, cur tibi, cur omnibus; pro inimicis, amicis, pro omnibus hominibus orandum est, nisi vt à Deo salutem, veniam peccatorum, bona corporis & animæ eis impetremus; Imò vt scias certius, quædam, mihi, aut tibi nunquã largiturus esset, nisi ea mihi aut tibi aliquis Sanctorum in terra degentium suarum precum aduocatione ac deprecatione impetrasset. Et quis vnquam Aduocatus, Patronus, Mediator apud humanum tribunal tantam potestatem nactus est, quantam quiuis Christianorum apud illum æternum & omnipotentem Iudicem; apud quem mihi, tibi, omnibus, pro me, te, omnibus licet misericordiam non solum petere, sed querere, sed importunitate extorquere.

Igitur cum in nomine CHRISTI pro aliis DEVM oramus, nos quoque Aduocati, Patroni, Mediatores sumus; & Christus nihilominus vnus tantum aduocatus est, quia ille quidem sine omnibus, sed nemo absque illo, nostram apud Deum causam agere potest; sic multos Patronos habemus, vt tamen omnes vno illo egeant; sic vnus ille est, vt quamuis aliis ipse non habeat opus, tamen suos, seu tanquam filios, seu tanquam discipulos, & proprias & aliorum causas apud Deum perorare velit, atque cum fiducia adire ad thronum gratiæ eius. Non solum ergo Moyse verè & sine Dei contumelia dicere potuit; Ego medius fui & sequester inter vos. & Dominum. Non solum Hieremias, Intermedius scilicet seu Mediator stetit, vt loqueretur pro eis bonum, sed quisquis vel in Veteri testamento vel in Nouo quicquam pro quoquam siue humani beneficii, siue cælestis gratiæ à Deo precibus impetravit, is Patronus, Aduocatus, Mediator eorum fuit quibus ob talem deprecationem benefecit Deus; Ergo &

D 3 homines

Jacob. 5.

he. iustit. 6
sicut in iud
-ba iustit
nago tota
im iua mut
-ba iustit
iustit

Matth. 7. 4.
Luc. 11. 2. non

Multitudo DE
VM pro nobis
precantium,
dignitatem
Aduocationis
vnius Christi,
non minuit
sed auget.

Hebr. 4.
Deut. 5.

homines hominum Aduocati, Patroni sunt apud Deum, sed vnus solus est, in cuius nomine, per cuius meritū isti audiuntur & exorant sempiternum numen.

Christus adhuc in terris præfens Aduocatos egenrium aut miserorum admittit.

Ioan. 2.
Matth. 15.
Luc. 7.
Act. 7.
Rom. 9.

Advocata fuit ergo nouorum coniugum, quæ vino deficiente dixit ad IESVM, Vinum non habent; & vt haberent consecuta est. Patroni fuerunt misellæ mulieris qui CHRISTO dixere; Dimitte eã quia clamat post nos; qui eidem suaserunt de Centurione; Dignus est vt hoc ei præstes. Mediator fuit inter Deum & Iudæos, qui pro persecutoribus orauit, ne statuas illis hoc peccatum, nec minus ille qui cupiebat Anathema fieri pro fratribus suis Iudæis, &c. Tandem igitur & vnum solum Aduocatum habemus & plures, imò multos ac penè innumerabiles, qui tamen omnes etiam coniunctis omnibus meritorum ac precū viribus minus nihilo efficere aut obtinere possunt sine illo vno, per quem rursus etiam minimus ex mortalibus & Christianis magna & multa, imò omnia potest impetrare, quæ aut Deum dare, aut hominem accipere fas est: ita enim ab ipso illo nobis promissum est, quodcunq; petentes in nomine meo volueritis, fiet vobis.

Ioan. 15.

Diui non minus nobis, imò multo magis patrocinari possunt, quam vini.

Matth. 18.
Luc. 6. præsertim autem in ipsa oratione Dominica,
Luc. 11. Matth. 1. 5.

An igitur MARIA, Angeli & Beati omnes qui cœlo iam fruuntur, idem nō possint, quod in terra viuentes potuerunt? An ille summus Aduocatus nunc quidem ad dexteram Dei sedens, & p nobis Deum interpellans quam adhuc in terra degentibus potestatem concessit, vt pro nobis SE quoque, aut per SE Deum interpellarent, iisque quos caros haberent, precibus patrocinarentur; eam illis vel charitatis laudem, vel nobis, vtilitatem inuidet? An Christi Maiestati nunc magis detrahat, si deprecatores admittat immortales, quos mortales adhuc voluit ac

manda-

mandavit vt pro aliis vota precesque funderent? An felices illi, miseriarum humanarum ita sunt immemores, vt charitatis etiam obliuiscantur? Quin ergo etiam Epulonem in inferno meliorē dicimus quā in cælo Sanctos? quoniam ipse vel inter tormenta æterna, fratres suos saluos optauit; & Sancti in cælo amicos suos nō optent simili felicitate perfrui? quod si optauerint idā Deo quoque petant necesse est; si petunt, igitur Patronos nostros sese præbent. Quid quod scimus Sanctos Dei vindictam postulare de inimicis sumendam; An igitur magis solliciti erunt, vt mors eorum vindicetur, quā vt clientibus ipsorum bona largiatur Deus. Demum si Sancti in cælis deprecatione sua nos non adiuuant, nihil obstat quò minùs planissimè dicamus nō tantum posse apud Deum diuos quantum viuos, atque adeò eam virtutem quæ sola cælo digna est in cælo obsolescere, contra manifestissimum cæleste oraculum; charitatem nunquam excidere, nisi fortè nunc ad extremum illud perfugium sese Blasphe-
mia conferat, & vltimum virus euomat.

Esse, patrocinentur & pro nobis orent Sancti, per communem illam & perpetuam charitatem: at vota certa nostra non audiunt, non cognoscunt, neq; ijs præ copia gaudij ac felicitatis vacat votis nostris adesse, & velut per orbem discurrere, atq; omnium preces excipere. Quasi verò hoc laboris & molestiæ sit, aut quasi vno atque eodem momento, & tanquam vno aspectu omnia omnium ad se missa vota cognoscere non possint; aut quasi vt terrena cognoscant, de cælo migrare debeant. Mirum igitur quomodo Angeli in cælo Dei faciem videant, & hominibus ministrare in terra possint. Neque dissimilitudinem arguere hic potest, nisi qui CHRISTVM mendacii reum faciat,

Luc. 16.

Apo. 8.

1. Cor. 13.

Hæretici Beatos in cælo miseros & duriores fingunt, quam dum in terra viuere.

Math. 18.

Matth. 22.

qui Beatos similes fore promittit Angelis Dei; non tantum quod nullo egeant coniugio, sed ipsa etiam beatitate corporis, quod æthereum illum animum Deo vndique fruente, nulla ratione impediturum, sed ipsum quoque cœlestis cuiusdam agilitatis & felicitatis participes futurum sit.

MARIA & in
cœlo Sancti
Vota nostra
volunt ac pos-
sunt audire.
Prou. 21.

Coloss. 13.

Pc. 16. Prou. 10.

Et cur tandem Sancti in cœlo vota nostra non audiant, an quia audire recusant? An quia non possunt audire, quamuis audire percuperent? Si recusant audire, quid aliud faciunt, quam obturant aures, ne audiant vocem pauperum, quod ne in terris quidem fecerunt, atq; adeo quod feliciores, eò facti sunt immitiores. Quod si audire concessum illis non est, quomodo sunt felices? cum ex flagrantia charitatis cupiant nos audire; ex defectu autem facultatis audire non possint. An non ipse Deus fefellisse eos videri potest, cum crediderunt, ipsum illis fore omnia in omnibus, cum sperauerunt omnia sua, que quidem diuine legi sunt consentanea desideria, adimplenda. Hoc autem, ut cognoscant qui nam eorum preces postulent, & ab eis se adiuuari cupidè velint, nequaquam cum Evangelica lege pugnat, quoniam ex charitate, quæ omnium virtutum culmen est, procedit.

MARIA &
Sancti in cœ-
lo quamuis
inuocantium
se preces audi-
ant, nihilomi-
nus multa i-
gnorant, Soli
DEO nota.

Neq; verò per hanc Sanctorum de viuentibus curam fidei nostræ, de infinita potentia & scientia Dei, quicquam decedit. Nam si non scelestos, stolidos certè se ostendunt illi, qui quod Sanctos Dei omnium se vocantium vota cognoscere credamus, inde fraudulenter confingunt, Sanctos a nobis tanquam Deos aut omniscios aque omnituentes haberi. Non enim est hoc argumentum hominis infinitatem potentia ac scientia Dei rectè æstimantis, nec considerantis illud quod Apostolus in cœlū

raptus

raptus, exclamauit; O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei &c. Quamuis enim vnus aliquis Sanctorum votis omnium qui in terra viuunt atq; omni tempore postuletur; atque ea ille vno quasi intuitu percipiat atq; cognoscat, nihilominus infinita adhuc sunt, & nullius creaturæ intelligentiâ comprehendenda, quæ præter ea quæ vel vnusquisq; diuorū, vel omnes Sancti cognoscunt, solus Deus nouit. Itaque minutum & impotentem Deum faciunt, qui ex cognitione cœlesti eorum, quæ in terris ab hominibus, vel per vota, vel per facta fiunt, infinitatem illam æternæ scientiæ imminutam existimant.

Quin ergo potiùs, vti credibile est, & MARIAM Matrem DEI, & Sanctos CHRISTI Apostolos dum CHRISTVM in terra sequerentur, ea fuisse charitate & amore erga omnes, vt quoscunq; sciissent suarum precum auxilio, aliquod à CHRISTO Deo beneficium postulare voluisse; pro iisdem CHRISTVM benignissimè & ardentissimè deprecaturus fuisse; sic credimus atque speramus eos carnis pondere iam non pressos, libereq; Deo fruente, eadem charitate, imò vehementer auctâ, & vt inter ipsos ignes cœlestes, mirabiliter succensâ & velle, & pro sua felicitate posse in Deo cognoscere, quinam sint qui eorum apud Deum & Filium eius preces exposcant; preces inquam & vota ad Deum, quoniam ne à MARIA quidem quicquam amplius exposcimus, nisi vt oret, vt precetur, vt vota p nobis fundat, ad suum & Dei Filium; quacunq; tandem verborum forma ipsam vocemus, nihil tamen aliud nisi deprecationem postulamus.

Licet igitur ores eam vt misceatur tui, vt salutem det vel animæ vel corporis, vt largiatur vel cœlestia vel humana bona, vt sanum, vt saluum, vt sapientem, vt castū,

Rom. II.

Indigna Hæreticorum de DEO, MARIA, & Beatis, persuasio.

MARIA, quod precibus nobis impetrat, id quantum in se est, dat, donat, efficit.

E

vt bea-

vt beatum denique faciat, non aliud petiisti, quàm vt hoc suis precibus, & eâ, quâ valet apud CHRISTVM gratiâ, à CHRISTO impetret. Et quid interest, siue illam dicas hoc votis precibusque suis apud Christum impetrare, vel per CHRISTVM efficere & dare, vel CHRISTVM ipsum suâ hæc solâ potētia hominibus largiri? Quamuis enim ipse etiam absque interuentu eiusmodi precum dare possit; potest tamen, imò magis vult liberalis esse propter istas atque similes deprecationes. Atq; inter has deprecationes, si eas quæ à MARIA tanquam DEI Matre fiunt, omnibus aliis, non meis tantum aut tuis, sed aliorum etiam Sanctorum, ipsorumque Angelorum efficaciores existimo & impetrabiliores, nequaquam CHRISTI omnipotentiam, quam solus habet, imminuo, aut Matri comunico, sed tantum omnibus eam plus posse denuncio; CHRISTO tamen tanto minus posse liberè confiteor, quanto minus potest homo quàm Deus. Eadem nihilominus interdum dicitur efficere posse omnia, quæ potest Deus, non potestate propriâ, sed clementiâ diuinâ; quæ nedum MARIE, sed aliorum Sanctorum, imò peccatorum quoque precibus donat, quæ supra naturam, & omnium hominum sunt expectationem.

MARIA non solum pro nobis multa impetrare, sed & DEO imperare potest.

Exod. 32.
Ios. 10.

Quodque demum his amplius est, & viuentes iusti, & in cælo beati non solum precibus suis efficere merito dici possunt quæ à Deo impetrant, sed etiam iubere quodammodo ac præcipere DEO & imperare & quasi constringere; cuius ipsæ diuinæ literæ non pauca documenta præbent, Nonne enim quasi ligatus fuit quodammodo Moyse precibus DEVS cum diceret; dimitte me vt irascatur furor meus &c? nonne ille quodammodo imperauit DEO, de quo memoratur ad eius mandatum stetit Sol immobilem, obediens DEO voci hominis? Cur igitur

homi-

homini fidenti imprimis promissionibus DEI de exaudiendis omnibus orationibus factis in nomine CHRISTI; Deinde etiam conscio sanctitatis & excelsitatis Sanctorum DEI atque imprimis MARIÆ Matris eius; non liceat petere id quod vult DEVS à se, quorumcunq; tandem votis, non modò petendo postulari, sed etiam iubendo flagitari? An minùs benefactum est, quod precibus effectum, quàm quod manibus elaboratum est? An non ille qui quod petiit impetrauit, id quod voluit, precibus effecit? An solius MARIÆ Diuorumq; preces, sine effectum & fructu sunt? Quid sola Mater de Filio tam malè meruit, vt rogata & obsecrata, nihil tamen ipsa queat rogando aut obsecrando, apud illum efficere? Hæc .n. est omninò Summa omnium precum, quas ad Dei Matrem, omnesq; Sanctos, quibuscunq; tandem verbis effundimus, vt quod nos oramus, ipsi exorent; quod nos longè positi petimus, illi DEO proximi impetrando tribuant, atq; efficiant, neque vnquã quisquam Catholicã fide imbutus aliter credidit, quàm omnia à DEO per CHRISTVM tribui & effici, licet interdum & frequentissimè Sanctorum, imprimis autem sanctissimæ Matris DEI deprecatione.

Quin ergo cessas tandem Blasphemias serere, quasi Christo relicto ad Matrem curratur, quasi adhuc in cælis triumphans ille, semper puer esse fingatur, eò quòd nonnullorum pietate rogetur Mater, vt Filio suo mandet, imperet, & tanquam leges ponat quid facere, quibus opitulari, quos perdere, quos saluare debeat; tanquam ei demonstrat vbera, quibus lactatus est, utrum, quo portatus est, manus, à quibus inuolutus, lotus, nutritus, vestitus, os atque oculos quæ toties ambrosio ore puerulus adhuc dissuauatus est? Cur verò istorum meminisse nos cum voluptate non libeat aut non liceat? An pueritiæ suæ memoriã, aut CHRISTO, aut Matri eius excidisse putandum est?

Matth. 7.
Luc. 11.
Ioan. 14. & 15.

Blasphemia est Christum adhuc puerum esse, sed inuoluitur, Christi pueritiam nihil nobis iam prodesse, illã Catholicis Hæretici falso affingunt, & intetum in hæc impingunt.

An suæ CHRISTVM pueritiæ, aut Matrem suæ in eum diligentia & materni officii pœnitet? An dum infantilibus membris, humanam miseriam expertus est, nihil pro nobis meruit? nihil peccatorum nostrorum expiauit? nihil gratiæ cœlestis nobis impetrauit? nō puduit CHRISTVM vulnerum suorum cicatrices in corpore suo retinere, quibus appareret vultui DEI pro nobis, & pudeat eum infantia suæ commonefieri, aut per eam aliquid postulari? Si igitur blasphemum non est, animo fingere, coloribus pingere, verbis exprimere, CHRISTVM nobis aduocando Patri suo monstrare vulnera, neque hoc blasphemum erit, si cogitemus Matrem CHRISTVM rogando monstrare vbera. Iacet tandem ergo Blasphemia, quoniam MARIAM, licet communis hominum Aduocata millies, atque innumerabiliter dicatur atque inuocetur, nequaquam tamen CHRISTO vel Adiutrix, vel in salute nostra aut quibuscunque bonis dandis aut procurandis par esse creditur; sed vt inter omnes cœlites omnium præstantissima, sic ob maternam etiam dignitatem potentissima humani generis deprecatrix & Patrona putatur, non tam suo merito, quàm CHRISTI gratiâ quæ longè vberior in Matrem suam quàm in cæteras animas redundare debuit.

Ioan. 20.
Hebr. 9.

Epinicion de-
uictæ Blasphemie, seu Paraphrasis, celeberrimi Cantici Mariani, quod ab ipsa Blasphemia compositum criminantur Hæretici.

Ad extremum nihil Hæresin ac Blasphemiam morantes aut metuentes MARIAM Matrem DEI Aduocata & Patronam communem totius mundi audacter ipsis etiam Angelis ac piis omnibus applaudentibus appellamus, & canticum illud tot calumniis, mendaciis, criminationibus Mariomastigarum obnoxium, lætissimis vocibus ingeminamus.

Salue.

Salue; Salutamus enim DEI Matrem, non quòd salutatione nostra ipsa vel egeat, vel beator futura sit, sed

vt ei

vt ei salutem & felicitatem suam congratulemur, & Deum laudemus, per quem ipsa salua & beata semper est. Salue salutata ab Angelo, Salue salutans Elizabetham, Salue quæ salua facta es, quia credidisti.

REGINA, meritò REGINA; Regis enim Filia, Regis Mater, Regis Sponsa; meritò Regina quæ regnum DEI atque ipsum æternum Regem intra sua gestavit viscera; meritò Regina quæ mundo paupertate, carni castitate, Diabolo humilitate & fide dominata est; meritò Regina, quam Monarchæ Mundi, Reges atque principes demissi venerantur. Quid inuides impure Hæretice hoc MARIÆ nomen, qui non nescis Christianos omnes Regalem populum esse, & quotquot aliquando ad beatas cœlorum sedes misericordiâ DEI peruenerint, vnâ cum CHRISTO regnatos; atq; ad eò viri Reges, fœminæ Reginae erunt, nam & coronis & diadematis redimita erunt eorum capita. Patere ergo quod speras, si tamen speras, regnum, etiam MARIÆ assignari, eamq; Reginam dici, & nisi CHRISTVM Regem Regum odisti, sine Matrem quoq; eius Reginam Regum ac Reginarum dici, neque timeas paritatem dignitatis in Matre & Filio, cum ipse Sexus satis discriminet potestatem CHRISTI tanquam hominis & DEI, MARIÆ autem tanquam Matris solùm & Virginis.

MATER, sine exemplo Mater, quia Mater & Virgo in qua fœcunditas non tollit puritatem, nec Virginitas impedit fœcunditatem. Secunda Mater, quæ secundum hominem peperit, Mater verè viuentium, non vt prima illa morientium; verè & sola Mater, quia cum sola genuit, à quo est, quicquid aut in terra natum, aut in cœlo creatum est. Mater misericordiæ; quidni? Mater enim est eius

Regina

1. Pet. 2. Apoc.
1. & 20.
2. Tim. 4. Iac. 1.
1. Pet. 6.

Mater misericordiz

2. Corinth. 15.
Gen. 3.

Eppes. 2.
2. Corinth. 1.

Iacob. 2.

Io. 2.

Vita

Ioan. 14.

Io. 11.
Coloss. 3.

qui diues est in misericordia; Mater est eius, qui est Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; Mater misericordiarum, quoniam misericors & mater est; Mater misericordiarum, quia ex quo mater est, superexaltat misericordia Iudicium; Mater misericordiarum, quoniam miseros omnes ac diuinæ opis indigētes, matris affectu complectitur; Mater misericordiarum, quoniam primum & admirabile misericordiarum beneficium humano generi ostensum est, cum aqua in vinum, ad huius Matris deprecationem mutaretur.

VITA; sanè MARIA quoq; est Vita nostra; sed absq; iniuria eius qui de se professus est, Ego sum Via, Veritas & Vita; quiq; passim in scripturis appellatur Vita nostra; Ac siquidem Vitam, auctorem Vitæ nominare velis, qui scilicet ipse per se & in se Vitam habeat, atq; largiatur cæteris, in quo nempe & per quem viuunt omnia; tum solus Deus Vita est & animæ & corporis, & omnium, quæ quomodo- docunq; viuunt; Neq; MARIA hoc modo Vita nostra; Si autem humano & Christiano more loquamur, vt Vitam nostram appellemus etiam ea, quæ post Deum; Vitam nostram siue vt adiumenta, siue vt delectamenta, seruant, recreant, & vitalem faciunt; MARIA certè per insigni & excellentiori quadam ratione, quàm quidquam aliud, Vita nostra dici meretur; Vita nostra est, quia ipsum illum vnicum Auctorem Vitæ nobis peperit. Vita nostra est, quoniam deprecatione sua à FILIO suo frequentissimè, mortuis restitui; morituris propagari, agris redintegrari Vitam impetrauit. Quot illa periculis terræ mariq;, domi forisq;, in bello & pace, inter iocos & seria, inter amicos & hostes eripuit, & vt Vitam non amitterent impetrauit? Quæ verò sunt bona atque dona, Vitam animi recreantia, fouentia, augentia, quæ illius aduocatione non sint eius clientulis per FILIUM communicata? Neq; solùm MARIE apud

FILIVM

FILIVM patrociniū, Vita nostra est; sed MARIÆ omnia dicta & facta, Vita nostra sunt. MARIÆ Humilitas, Vita nostra est. MARIÆ fides, Vita nostra. MARIÆ pietas, Vita nostra est. MARIÆ caritas, Vita nostra est. MARIÆ castitas, Vita nostra est. MARIÆ constantia, Vita nostra est. Siue enim hæc cōsideras, vt DEI in MATREM SVAM beneficentiam prædices; siue vt CHRISTI natiuitatis, pueritiæ, & adolescentiæ quam MARIA fouit, & subditam habuit memoriā gratus reſtrices; siue vt ipſus inſignes virtutes imitère, iſtarum omnium & minutiffimarum rerum MARIÆ; cogitatione, Vitam animæ tuę foues, auges, recreas. MARIA igitur cuius ſingulæ vitæ partes, Vita noſtra ſunt, ea quoque ipſa ſine dubio tota, Vita noſtra eſt.

DVLCEO quoque noſtra eſt MARIA, quia vt melior Eua dulciſſimum fructum, ipſa tanquam lignum Vitę ad veſcendum nobis protulit; Dulcedo noſtra, quoniam nulla maiori dulcedine perfundi poſſumus, quam cum conſideramus, MARIAM Matrem, IE SV LV M, delicioſum illud generis humani nobis peperiffe, cum quo ipſa, & nos dulciſſimè & ſuauiſſimè verſaremur; præſertim cum alioqui inter omnes humanas affectiones, nulla dulcior ſit, quàm ea qua monemur erga bellulos filioloſ in cunis infantia & pueritiã, cum quibus ludere, ridere, quos ſuauiari, & amplecti nunquã ſatis poſſumus: Nec inter omnia Vitæ CHRISTI ac B. MARIÆ myſteria, vllũ ſuauidine mellitiſſima dulcius, quam Virginis partuſ, & Dei infantis pueriles erga Matrem blanditiæ, aut Matris cum Omnipotente puerulo, delicia. Dulcedo noſtra eſt, quoniam MARIÆ nomen ac memoria, amaras cordis cogitationes edulcat.

Dulcedo.

Quinetiam, quamuis in vno DEO ac IE SV CHRI-
STO omnem ſpem noſtram conſtituamus, tamen MA-

Spes.

RIAM quoque spem nostram meritissimè appellamus; MARIA, spes nostra est, non vt DEVS, nec vt DEA, sed vt Mater Dei; Spes nostra est; Nam speramus quæcunq; voluerit a Filio impetraturam: Spes nostra est, quoniam speramus eam nobis semper benevolentem, & beneficam fore; Spes nostra est, quoniam speramus eam omnia nostra vota ac desideria sancta cognoscere & grata habere; Spes nostra est, quoniam speramus, nos olim eius in cælo gloriam, quam inter omnes creaturas, vt primam, sic proximam CHRISTO habituram credimus, contemplaturos. MARIA spes nostra est, quoniam spem nostram in Dei potentiam & misericordiam, verbis ac factis mirabiliter accendit, & auget. Quid enim non speret de potentia Dei; qui videt Matrem Virginem? quid non speret de misericordia Dei, qui MARIAM audit triumphantem quòd respiciat & exaltet humiles, quòd misericordia eius à progenie in progenies &c. Iterum ergo Salue, quæ salutem humano generi IESVM peperisti, qui per se, & ex se, est Vita, dulcedo, & spes nostra; Iterum Salue, quæ & ipsa per ipsum facta es Vita, dulcedo, & spes nostra; Ille fons est vberrimus Vitæ, dulcedinis, spei nostræ; In Te, tanquã in amplissimum alueum, imò tuam in aluum, abundantissimè SE primùm torrentis instar effudit. Tu nobis Vitam, dulcedinem, spem, precibus, exemplis, pietate humana; Ille verò eadem potestate numinis nobis præstat; Vitam, dulcedinem, spem nobis præbet ille per te; & tu per illum; Sed ille potest etiam præbere absque te; tu nunquam potes sine illo; Et quia saltem per illum potes, ideo quoque

Christus Vita, dulcedo, spes nostra per potestatem propriam. Maria, per eius gratiã.

Ad te clamamus.

AD TE CLAMAMVS. Ad Matrem clamamus. Cur non ad Filium? Imò magis ad Filium; nec aliter ad Matrẽ clamamus, quàm vt Filius quoq; audiat; & si nos ob peccata

cata

cata nostra auerfetur, MATREM saltem audire dignetur:
Ad Matrem. Ad TE MARIA preces & cogitationes ver-
timus, qui p matrem aliam seducti sumus; Illa mater præbu-
it vnde moreremur; Tu præbuiſti, vnde viueremus. De fru-
ctu quem illa obtulit, quia comedimus, Paradiso eiekti su-
mus. De fructu ventris tui, si vefcimus, cælo reſtituimur.

Igitur nos Exules filii Eux ad te clamamus; te de-
precamur, te in vota vocamus. Et quoniam de dignitate,
de gratia, & pondere quam habent preces tuæ apud Filiū
tuum, hanc ſpem, imò certitudinem habemus, eum ſe ti-
bi in omnibus quæ nobis proſint exorabilem præbere; id-
eo fidentiffimè te rogamus, & ad te ſuſpiramus, tanquã ad
Matrem noſtram, quæ CHRISTVM nobis fratrem pepe-
riſti: qui nos fecit cohæredes regni cæleſtis; ſuſpiramus igi-
tùr ad regnum Filii tui; ad regnum tuum, imò ad regnum
noſtrum gementes de peccatis noſtris, & flentes ac deplo-
rantes calamitates noſtras, in hac lachrymarum valle.

Eia ergo ô Aduocata noſtra, ô Patrona, ô deprecatrix
noſtra, illos tuos miſericordes oculos, quibus ipſam miſe-
ricordiam carne veſtitam primùm ex vtero tuo progres-
ſam aſpexiſti; illos miſericordes oculos, quos par eſt ha-
bere matrem miſericordiæ, illos miſericordes oculos, qui-
bus omnes miſerias humanas commiſerans aſpexiſti; il-
los oculos ad nos quoque conuerte & obuerte, vt noſtri in
hoc exilio, vel ad minuendas, vel ad fortiter ferendas mi-
ſerias, miſerearis.

Et IESVM benedictum fructum ventris tui, no-
bis poſt hoc exilium oſtende; oſtende inquam, ſi iam
non inter brachia tua, at certè ad dexteram Patris
ſui. Quid ringeris Hæretice? An MARIA FILI-
VM ſuum iam nouit? Si nouit, poteſt igitur oſtende-

F

re illum

Exules filii
Eux.Eia ergo ô
Aduocata no-
ſtra &c.IESVM &c.
nobis &c.
oſtende &c.

Ioh. 17.

Luc. 11.

Luc. 1.

Luther. Serm.
de Natiuita.
Mariæ.

re illum; An CHRISTVM humanitatis & Matris suæ pu-
det? patietur igitur se ab illa ostendi. Imò & ipse IES-
VS se nobis ostendet; & ipse nobis MARIAM ostendet;
& MARIA nobis IESVM ostendet; Ipse se ostendet IESVS,
quia hæc ipsa est Vita æterna, vt cognoscant Deum Pa-
trem, & quem misit IESVM CHRISTVM; Ipse IESVS MA-
RIAM ostendet, quando maiestate humanitatis CHRI-
STI obstupefactus obuersis oculis ad MARIAM exclama-
bis; Beatus Venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.
Maria quoque tibi IESVM ostendet, quando Matris im-
mensam gloriam contemplatus, illam beatam & benedi-
ctam collaudabis; tum te in IESVM oculos intendere iu-
bebit, & cum vniuerso Angelorum choro decantabit;
Magnificat anima mea Dominum, &c. Quia fecit mihi
magna qui potens est, &c. Volumus IESVM videre; MA-
RIA, IESVM benedictum fructum Ventris tui nobis o-
stende; ostendes autem cum precibus tuis propitium fe-
ceris; cum impetraueris vt eum fide cognoscamus, carita-
te complectamur, ac demum illum in cœlesti regno facie
ad faciem semper beati contueamur. Ostende nobis Ar-
bor fructum tuum; Mater Filium tuum; Virgo Spon-
sum tuum; Regina Regem tuum, MARIA IESUM tu-
um; tuum inquam & nostrum. Ostende, inquam, IES-
VM post hoc exilium, quæ IESVM primò nobis in hoc
exilio ostendisti. Si ad Præsepe cucurrissem, IESVM osten-
dissem; Si ad Crucem anhelassem, IESVM monstrassem; Vbi-
cunq; TE & IESV tuo in terris agente, IESVM quæsiuis-
sem, IESVM monstrassem; etiam dispositam militum aciem
perrupissem & IESVM monstrassem; & nunc IESVM in cœ-
lo ostendere non possis aut non velis? imò verò Tu osten-
des nobis IESVM. Qui verò TE contempta aut in commu-
nem

nem matrum, imò quod nefas est, impudicarum mulierũ, quantum in se est, sortem redactã, IESVM videre volunt; illis ipse se ostendet quidem, sed ad immortalem vindictam; sed potius quàm ille sic se nobis ostendat, Tu IESVM nobis ostende: O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA, & quæ Summa tandem est omnium votorum laudumque erga Beatissimam Virginem. ORA PRO NOBIS SANCTA DEI GENITRIX, vt digni efficiamur promissionibus CHRISTI. Id enim vnum cum feceris & effeceris, TE Reginam, Matrem misericordiæ, Vitam, Suauitatem, Spem, Aduocatam nostram vsque & vsque confitebimur, & verso prosoque sermone magnificabimus.

Summa omnium precum & votorum ad MARIAM, in Christo completur.

Ex eodem Votino Carmine D. P. Menzelli.

*Salue hominum duros miserans Regina labores,
Vitaque dulcedoque & spes mitissima Salue,
Ad TE clamamus soboles miserabilis Eue
Exul; & afflicto trahimus suspiria corde,
Cum gemitu lachrymas, lachrymarum in valle cientes.
Eia oculis ergo placidis & fronte serenã
Respice Diua tuos, facilisq; tuere clientes;
Et prolem Vnigenam nobis, bona MATER, IESVM,
Exilio functis pacato numine monstra;
O clemens, pia, dulce decus, MARIA inclyta VIRGO.*

TROPHÆVM QVINTVM.

Argumentum.

Pletatis larvâ, vestita Impietas, Catholicos Superstitionis accusat
ob peregrinationes ad Mariana templa; ob imaginum reliquia-
rumq; Beatissimæ Matris Dei venerationem. Hoc igitur aduersum Impi-
etatem & Superstitionem Trophæum erigimus.

MARIÆ THAVMATVRGÆ S.
IMPIETATE ET SUPERSTITIONE
EXTIRPATA.

Infanda pro-
bra, quæ impie-
tas Hæretica
jacet in Catho-
licos.



AVDIAMVS personatam Impietatem; Non so-
lum, inquit, deserto ferè CHRISTO ad MARI-
AM curritur, sed etiam longè curritur, quasi propè
non audiat. Et ut audire cogatur, pignus capiunt, si
modo inuenire possunt de MARIA, ut laciniam vestimenti, vel
puluisculum pauimenti; fragmentum de Zona, vel ramentum de
corona; vel crinem de capillo; vel stillam de mamilla; lapillum de
tecto, villum de lecto, fauillam de foco. Quæ quidem non solùm
possidere, sed tanquam per somnium habere, summa felicitas est.
Itaq; nihil iam CHRISTI sanguis potest aut valet præ istis MA-
RIÆ quisquiliis, reliquiis dicere parabam. Eugear bellua?
Nunc bellè habebis; Vomisti; Iam & animam expues.
CHRISTVS deseritur; Imò iam te CHRISTVS deseret ob
istud immane mendacium; Asserimus CHRISTVM non
deserimus, cum ad MARIAM currimus, currimus enim
propter CHRISTVM; & finge, si potes MARIAM sine
CHRISTO, non solùm non curritur ad MARIAM, sed
iam podagrosi erimus omnes, nemo propter eam vel pe-

Ad solum
Christum cur-
ritur, cum MA-
RIA inuo-
catur.

dem mo-

dem mouebit. Cur porro tale virus verbo tegis? *Ad MARIAM curritur*; Imò ad MARIAM non curritur tanquam ad metam; sed cum MARIA ad CHRISTVM curritur. Si ad quemcunque Christianum confugissem, atq; vt pro me Christum oraret petuissem, nò tam ego ad illum hominem, quàm ille mecum ad Christum cucurrisset diceretur; Quomodo ergo CHRISTVS deferitur, si socius ac comes quaeritur, cum quo ad Christum curratur? Sancta MARIA Mater CHRISTI ad TE curro, vt o'es pro me CHRISTVM tuum. Quid hoc est aliud, curro ad TE, vt TV mecum ad CHRISTVM curras? ego oro, & TV ora; ego in terra, TV in caelis: ego miser, TV beata; Quid si etiam hoc adderem, sancta MARIA miserere mei, vt curras mecum ad Christum tuum, & hoc aut illud beneficium postules? Al. à mente aut voluntate nemo vnquam Catholicorum ad MARIAM cucurrit aut cursurus est, quibuscunq; tandem eam verborum ornamentis appellet.

At longè curritur quasi propè non audiat: Imò & propè audit & longè; Vbique audit, sed non vbique exaudit. A Deo enim est, quod per illam impetratum est; Deus idè est, qui facit vt non omnis ferat omnia tellus; nec beneficium quoduis, quouis in loco praestat. Vbique potest: at non ubiq; vult; Quid mecum expostulas quòd longè curram? Illuc curro, vnde quod mihi opus est auferam; si propè hoc mihi Deus praerberet, longiùs fortassè non currem. Cum Deo igitur litiga; Iube mihi domi largiatur, quod longè currens quaero; supersedebo cursu longiore fortassis, fortassis inquam. Sit enim hac vna, sit praecipua causa longè currendi: possunt & aliae annumerari iustae quoque & probae.

n. peregrinationibus quae ad templum starana, ad Christum curritur.

Varia & probæ
peregrinatio-
nū religionis
ergo causa.

Quid si longè curram, vt longè lateq; propagetur gloria Christi & Matris eius? Vt non solùm inter meos, sed & inter alienos nomē Dōmini & potencias Virtutis eius laudet os meū? Quid si longè currā, vt longè segregatus aliquando à curis & cupiditatibus, liberiùs orationi vacare possim, non circumstrepentibus me domesticis vexationibus? Quid si longiùs currā, vt & itineris labore fatigatū corpusculū, voluptates noxias minùs concupiscat? Quid si longiùs curram, vt aliorum pietate ac singulari religionis exemplo commotus, eorundemq; precibus præfens adiutus, ipse quoque Deo gratiora vota perferam? Quid si longiùs curram, vt fatear quamuis longissimè positos, & quasi alio in Orbe sitos, eiusdem membra corporis esse? atque adeò eos in Christi visceribus complectar ipse & ab ipsis omni genere caritatis afficiar?

Abusus religi-
onis ergo per-
egrinantium
tollendi po-
tius, quam
ipsæ peregrina-
tiones.

At hæc deridet Impietas, & frendens mussat. *Quotusquisq; est qui sic peregrinetur? Et sine peregrinatione eadem consequi multos posse.* Possint sanè multi, dum non omnes. Sine ergo illi peregrinentur, qui finem talem sibi propositum habent. Sit etiam in quibusdam curiositas magis quàm pietas. Inueniantur præterea, qui officium proprium deserant, & aliena sectentur. Quid aliud dicam quàm illud; Malè faciunt, qui istuc faciunt? Tollantur ergo peregrinationes religiosæ, quia multi peregrinantur parùm religiose. Tollantur ergo nundinæ, quia non omnes comercii causa, sed multi furaturi, alii libidinaturi, alii occisuri ad eas veniunt; Imò tollantur omnes etiam sacri conuentus ad templa Christianorum, quoniam etiam in iis alius sacra irridendi, alius odium exasperandi, alius amorem conciliandi causa inuenitur. In eodem prato bos, herbam quærit; canis, leporem; mel, apis; venenum, aspis. In eadem

peregrinatio.

peregrinatione alius oculos pascit, alius ventrem, alius mentem; Alius quærit corporis vtilitatem: alius animi voluptatem; alius pietatis dulcedinem.

At qui ex omni peregrinatione nihil nisi virus pestiferum exugunt, quos appellem, nisi Pſylos aut Serpentes: quibus si nemo pius videtur, qui pietatis causa peregrinatur; quid ergo de iis censent, qui lucri, qui ambitionis, qui studiorum causa peregrinantur? An hos nihil impedit, etiam in illa peregrinatione pios ac religiosos esse; illos autem, qui hoc ipsum religionis causa faciunt, ipsa religio deserit? *Opes, inquit, honores, doctrina, usus rerum, foris quærenda sæpè necessariò sunt, sed Religio ac pietas domi cuique nasci potest.* Audio si quis ergo Vir fortis est, qui, vbiunque est, domi est; hic pietatem vbiunque habebit, seruabit, augebit? Non ergo domi solum, sed foris quoque ac peregrè pietas nasci ac confirmari potest: Vbiunque nasci, vbiunque amitti potest; sæpè domi nata, foris est perdita; sæpè peregrè prehensa, domi euauit. Homini pietatem volumus alligatam, non loco. Quamobrem etiam peregrinationes non iubemus, sed suademus, non exigimus, sed comendamus; sit qui nunquam in vita pietatis causa peregrinetur, an ideo saluus non erit? Quin etiam votiux peregrinationis reus, si votum non soluit, non tam omittæ peregrinationis, quàm perfidiæ pœnas dabit. Nemo ergo damnabitur, quòd peregrinatus non sit; sed non nemo, quòd piè peregrinantes temerè ipse condemnauerit atq; ludibrio habuerit. Alibi quidem atq; alibi se magis efferat licet Pietas, vbi scilicet vel maior necessitas virget, vel melior spes solatur, vel plura exēpla sollicitant, sed solida semper quiescentem & peregrinantem comitetur.

Impii Hæretici ex omnibus Institutis Catholicorū viri exugunt.

Miracula Mariana, suadet
faciendas
peregrinationes.

Hæc speciatim
citata & enar-
rata vide in
opere Maria-
no Canisii, in
collar. Breden-
bachii: Atte-
stantur & om-
niam ferè
Templorum
Marianorum
Annales &c.

Marianorum
miraculorum
multitudo &
magnitudo in-
enarrabilis.

At itis omittis ad primam illam causam redeamus:
Cur me vetas peregrinari ad templa Mariana; si ad ali-
quod eorum seu propè seu longè situm currès, aut fanita-
tem recuperare, aut periculo aliquo defungi, aut magno
aliquo bono potiri possum? Quod enim mihi ex malis
omnibus excogitabis, quo non in aliquo suorum tem-
plo, Reges, Principes, Respublicas, priuatos quoque libe-
rauerit piè invocata & rogata Mater Dei? Quam tu mihi
materiam optabilium bonorum ac donorum animi seu
corporis nominabis, qua non ad se confugientes omnis
sexus atque atatis & dignitatis homines in aliquo suo-
rum templorum MARIA beauerit? Quot illa ducibus, re-
bus afflictis ac desperatis Victoriam concessit? Quot illa
regna, prouincias, Respublicas, ab hoste, à peste, à fame,
ab insania liberauit? Quot eius ope, monitis, precibus au-
xilio ab impietate ad sanctitatem traducti sunt? Quot mi-
seros ex ipsis Dæmonis faucibus clementer creptos Chri-
sto Filio suo ac Deo reconciliauit? siue in perniciem ho-
minum ignis flagrauit, siue terra hiauit, siue aër corusca-
uit, siue Oceanus inundauit, præsens MARIA piè vocata
miseris præsidio fuit. Quàm sæpè, quàm multis MARIA,
in vinculis securitatem, in periculis lætitiā, in suppliciis
delicias præstitit? non solùm morbos curauit, vulnera sa-
nauit, sed membra quoq; præcisa restituit. Quid multis?
nihil est humanæ calamitatis, qua quisquam mortalium
conflictari, nihil humanæ felicitatis, quam quisquam ex-
optare potuit, quin ab illa seruare, & hanc pro nobis à
Filio suo impetrare MARIA possit: imò quam non impe-
trauerit alicubi reipsâ, vt eius beneficii monumenta ali-
qua monstrari in templis MARIANIS possint. Hinc me-
ritò MARIAM Thaumaturgam, hoc est miraculorum ef-
fectricem Ecclesia Catholica concelebrat, non quasi

proprio

proprio numine tantum possit; sed quod eius deprecatione vnum illud ac æternum numen hæc admiranda patrare soleat, quemadmodum etiam ea miracula, quæ ab Apostolis patrata sunt, Apostolorum quidem precibus ac meritis, in primis autem omnipotentiae Dei adscribimus. Quid verò ad hæc Impietas? Aut negat vlla talia miracula in templis MARIANIS perpetrata esse; sed criminatur potius omnia qua circumferantur, literis, picturis, signis, aedificiis commendata testimonia lucri & fallendi causa conficta esse. Aut si hîc constringatur Impostrix, & admiranda beneficia in Marianis templis impetrata negare non possit, tum verò eò confugit; *Ea miracula non à Deo, sed ab eius & totius humani generis hoste, Diabolo esse; Eius præstigijis videri aliquando mortales reuiuiscere, sanitatem recuperare, periculis eximi, inexpectatis beneficiis affici.* Hæc larua est, quâ detractâ immane & informe monstrum detegitur. Duplex igitur telum ministrat: In vtriusq; mucronem incurrat necesse est; Aut negat; *vlla esse Mariana miracula;* Aut asserit, *à Diabolo esse.* Elige ergo quo prius gladio feriri velis. An turpi infirmitate? An sacrilega asseueratione.

Si nulla enim Mariana sunt miracula, illud quæro, an vlla inter fideles & Christianos ab Apostolorum vsq; ad nostram ætatem fuerit fides & cura veritatis? quòd si aliquam fateri necesse est, ea fuerit si non apud plurimos & potentissimos, at certè apud sapientissimos vel optimos. Nonne verò omnem veritatem, omnemque fidem tanquam Solem mundo eripiet, qui non solùm eis qui numero & auctoritate omnibus præstant; sed etiam illis qui sapientiâ & perfectissimâ virtute cunctis excellunt, fidem non constitisse impudenter asseuerant. Mariana namque miracula non solùm à plurimis & potentissimis; sed etiam à probissimis & doctissimis cognita atque te-

Impietas Hæretica, vel negat vlla esse miracula Mariana, vel asserit à Diabolo esse.

Si nulla sunt Mariana miracula, nulla inter Christianos fides est.

In Annalibus
eius Ecclesiz
Vide Bozium
tomo 5. de fi-
gnis Ecclesiz
Signo 16.

stata sunt, quoniam omnes veterum Christianorum libri atque voces, signa atq; parietes de iis testimonia perhibent, Imò antequam noua hæc Impietas personata, nasceretur, nullus fuit in toto Christianorum orbe locus aut lucus; in insula vel continens, in quo non aliquod extaret diuæ **MARIÆ** in humanum genus beneficæ eiusdemq; miraculorum monumentum. Nonne enim iam ab Apostolorum temporibus & Massilia à Martha, & Magdalena, Templum **MARIÆ** dedicatum certis authoribus traditur? Nonne omnis antiquitas credit à charissimo Christi Apostolo Iacobo, Cæsar augustæ sacellum eidem Deiparæ dedicatum? Nonne apud Tungros Maternum Petri discipulum ædem **DEO** in honorem Beatissimæ Virginis sacrâsse à veneranda antiquitate creditum est? Quòd si etiam his fidem adhibere non libet, quid de iis quæ hodie in omnium oculos incurrunt per templa Mariana miraculis censendum est? Inuenimus enim à multis retrò sæculis non solum libris, tabulis, marmoribus, ære, auro, ebore, argento; sed etiam admirabili opere & structurâ, regifico sumptu eductis templis, turribus, aliisque monumentis quæ cum quauis priscorum magnificentia certare possunt, testata & confirmata Mariana in humanum genus beneficia. Quæq; adeò non solum inter Christianos sese continuerunt, sed aliquando etiam ad salutem infidelium sese extenderunt.

Multa diuina
miracula **MARIÆ**
precibus
impetrata tam
testata ferè
sunt, quàm
ipsum Euan-
gelium.
D. Aug. in lib.
contra Epist.
Fud. Matth. 29.

Quid multa Verbo dicam neque ipsa sancta Euangelia magis testata, quàm sunt miracula innumera Mariana: Vt enim D. Augustini, imò ipsius etiam Christi iussu atque magisterio Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moueret autoritas; ita miraculis istis Fidem arrogarem omnibus, nisi vniuersa Christi Ecclesia, & quidem illa per quam, & à qua Euangelium accepimus,

(ipfi

(ipsi per Christum traditum, & ut in omnem æternitatem custodiret & propagaret commissum) omnibus modis, quibus humanitus quicquam confirmari potest, ipsa quoque confirmasset, ac in omnem posteritatem, auctoritatem perpetuam habitura, miracula Mariana, testificata esset. Siue autem Ecclesiæ Christianæ & Catholicæ nomine vniuersum cœtum eorum, qui Christiano nomine censentur intelligas; siue eo nomine ex Christianorum numero, dignitate, & officio primos, siue potestate excellentes, siue sapientia eximios, hoc est, siue Apostolorum successores, Pontifices atque Ecclesiasticos, siue Monarchas, ac Principes, siue Doctores & Magistros Ecclesiæ appelles, ab hisce & vniuersim & sigillatim luculentissima & omni exceptione maiora testimonia, admirandis à MARIA editis miraculis perhibentur; ita ut eadem facilitate quiuis improborum vel proteruorum Hæreticorum, sancta Euangelia ipsumq; Christum abnegare atq; abiicere possit, qua repudiat miracula à DEO MARIAE deprecatione patrata.

Quid verò est, cur passim in ore omnium, etiam ipsorum Hæreticorum hodie sit maiorum nostrorum virtus, pietas, constantia, prudentia? Si tam blenni, fatui, fungi, buccones fuerunt, non solum vilissimi ex plebe, sed etiam eruditissimi Doctorum, sanctissimi DEO dicatorum, præstantissimi Imperatorum atque Ducum, ut tot sæculis labentibus, tam inauditis sumptibus, tam inæstimabili opulentiâ colerent Marianam memoriam, atque ipsum adeo potissimum Christum, sub falsa & inutili specie. Certè nulla Ethnicorum fingi aut cogitari potest magis absurda atque turpis Superstitio quàm illa, quam secundum hanc Impietatem nobis Christus induxit,

Æternum dedecus, toti Christianitati usque ab Apostolis inurunt, qui omnia miracula Mariana negant.

Si nulla sunt Mariana miracula, Christus nos decept, quem putabamus adhuc in celo per Mariam posse miracula edere.

Miracula quæ nos credimus diuina & Mariana esse, Hæretica Impietas Diabolo attribuit.

Vide Th. Boziū Signo 36.

Christus, inquam, quoniam MARIA sine CHRISTO nis & umbra est, imò planè nihil, nec nisi propter CHRISTVM tanti nobis est MARIA, quàm vt homines; hominem pluribus verbis celebrare possumus, licet CHRISTVM vt hominem & DEVM infinitè præcellentiorè æstimemus. Aut igitur è medio mortalium omnis Fides atque Veritas tollenda est, aut fatendum est ex Marianis istis miraculis pleraq; præsertim autem illa, quæ tot æternis monumentis sacrata sunt, verissima esse. Mirum autem est plerosq; eos, qui toti tot ætatum Ecclesiæ non credunt, tantum sibi arrogare, vt omnia sua dicta, imò solùmnia pro oraculis haberi velint; Sed rectè accidit, vt nugiuendis istis credere cogantur, qui Ecclesiæ non credunt. Itaque audenter triumphamus, vel nullam Fidem Christianam esse, vel aliqua miracula Mariana esse, quoniam eadem authoritas Ecclesiæ est, quæ hanc & illa tam illustribus testimoniis nobis reddidit testata.

Sed nunc alterum telum experire bestia? Fortè enim pœnitet te dixisse; *Nulla miracula Mariana esse*; Itaque facinus scelere corrigis, aisque; *Vt aliqua sint Mariana miracula: à Deo certè non sunt*; Teneo TE bestia; Iam ego te hîc articulatim obtruncabo; Illa igitur MARIANA miracula, si à DEO non sunt, vnde sunt? cuius ergo numine vel potentiâ patrata sunt? Ecce si priora & meliora post Christum secula recolo, inuenio MARIANA innumera miracula non libris solùm prodita, sed (quod sæpius repetendum est) amplissimis basilicis atq; templis in eorum memoriam à Regibus & Reginis, Rebus publicis & priuatis hominibus ædificatis contestata, non solùm in Palæstina & Græcia, sed in Ægypto quoque & Æthiopia, & in vltimis terrarum; Neque TV mihi vllum Angulum cogniti olim Orbis monstrabis, in quo Christiani liberè DEO

seruiue-

seruierint, quin ibidē etiam aliquod monumentum ex-
stiterit Marianæ apud Deū gratiæ, & beneficentiæ in hu-
manum genus. Sin posteriora hæc & Patrum nostrorum
sæcula reuoluas, nemo est, qui Mariana templa miraculis
illustra, enumerare omnia possit; idq; non in vna aliqua
prouincia, sed in omni regione in qua vnquam fuerunt,
qui Christiano nomine recensiti sunt; Quòd si hæc om-
nia miracula à Diabolo sunt, næ iste Diabolus, magnus
& meritò admirandus nobis erit. Sed magis inspiciamus,
quæ fuerunt ista miracula? Nullus, (vt ante quoque tri-
umphans dixi, & sæpiùs inculcandum est) morbus, peri-
culum nullum, beneficium nullum est, quo non MARIA
inuocata, aliquando Christianos sanauerit, liberauerit,
donauerit, idque factum testari possumus, non solùm
Aquilgrani (vt ex plurimis celeberrimisq; Templis Ma-
rianis pauca tantùm recenseamus) aut Oetingæ veteri in
Germania; aut ad S. MARIAM Boninam, vel Massilicæ
in Gallia; neque solùm in Italia Laureti aut Romæ; neq;
etiam tantùm ad S. MARIAM Vadalupam, & montem
Serratum in Hispania; aut montem Clarum in Polonia;
sed huius generis miracula sine numero etiam in omni
loco, in quo CHRISTI & MARIÆ nomen auditum est,
facta sunt, & quotidie facit.

Hic tu mihi quisquis es verè Christianus, Diabo-
lum istum cum suis miraculis considera; *Miracula quæ à
MARIA impetrari videntur, à Diabolo sunt*, ait laruata Pie-
tas? Quæ sunt ergo illa miracula? Omnia quæ ad ser-
uandos, & beandos Christianos, enumerari aut excogita-
ri possunt. Vbi autem ostensa sunt, aut patrata? vbi que
terrarum, olim in Asia & Africa magis; Hodie in Europa
& America; Quando & quo tempore? Omni, vsque ab
Apostolorum memoria; nec enim ab vno, nec à tribus,

Quicquid
Marianæ lau-
di detrahunt
Hæretici, id ad
extollendam
Diaboli po-
tentiam &
gloriam facit.

aut quinque, sed à sedecim vsq; sæculis, nulli alii Christiani fuerunt nisi illi soli, soli inquam, qui MARIAM vt deprecatricem apud filium inuocauerunt, Et ipsi Christo ac Deo in memoriam suæ Matris, imagines, aras, templa sacrârunt. Iam si omnia, quæ isti à Christo Deo, per MARIÆ Matris eius preces accepisse se crediderunt, à Diabolo facta sunt: Igitur Diabolus omni tempore, omni loco, omni occasione admirandis factis illis humano generi benefecit. Quis est ergo ille omnipotens, beneficus & sospitator Christianorum Diabolus? Quis ille tam obscurus & imbellis Christus, qui se ab isto Diabolo magnitudine, multitudine, certitudine miraculorum & benefactorum in Christianos vinci patiatur? Horresco blasphemiam; sed eam vt caueatur, demonstro. Quis ille tam ingratus, surdus, inclemens CHRISTVS, qui nec nostras, nec Matris suæ pro nobis preces audire velit ac possit? Imò quis ille tam bonus Diabolus & æquus MARIÆ, vt ad eius mentionem & memoriam continuò omnibus bonis Christianos cumulet; quasi MARIA non Mater CHRISTI, sed (detegenda enim est turpitudine Impietatis) mater Diaboli esset? Quæ Impietas est, si hæc non est, Diabolum Christo æquare, imò anteferre? Victa ergo Impietas est quoniam ei persona detracta est;

Horrendæ
Blasphemix,
quas parit no-
uum Euange-
lium, miracula
Mariana re-
spuens, aut Di-
abolo attribu-
ens.

Simulandâ
obseruantia
erga Christû,
Matrem eius
persequuntur
Hæretici.

Christus solus inuocandus est, inquit, ô bellam Pietatis speciem, ô laruam illecebrosam. Quis non sanctè iuraret CHRISTI causam agi, vt solus inuocetur? Sed præuaricator apponitur, non CHRISTI, sed Diaboli causa defenditur. Euge reuellamus hoc schoma; CHRISTVS solus inuocandus est tanquam Deus atque vnicus liberator; Hac forma nemo mortalium neque beatorum, neque ipsa Dei Mater inuocanda est; At viuentes

etiam

etiam peccatores, ipsosque Beatos inuocare, vt nobiscum vna CHRISTVM inuocent, quid habet absurdi? An non licet? An non expedit? Viuentes quidem sic inuocare licet, quia id Euangelium iubet; De Beatis ostendo expedire, quia quod per meam vel aliarum & B. Virginis deprecationem à CHRISTO petitum est quantumuis fuerit admirabile, rarum, magnum, bonum, id impetratum est sæpissimè, & impetratum esse omnium annorum & sæculorum melioris æui memoria confirmatum est. Atque hæc sunt illa miracula, quæ, vt alia omnia taceam per totum Orbem nubium tenuis eductæ machine contestantur; *Non sunt, inquit, à Christo hæc miracula; sed à Diabolo Seductore.* Nos verò scimus quoque Diabolum admiranda edere posse, atque curiosos per hæc in fraudem illicere; Sed vt Magorum Pharaonis Serpentes, à Moyse serpente deuorati sunt; ita præstigiæ Diaboli, à Christi miraculis absorberi debent. Sed de Marianis illis miraculis mihi sermo est, quæ, si omnia à Diabolo sunt, tu quidem vicisti Diabole, & tu Sancte CHRISTE nos decepisti; Ignosce Domine IESV, non hæc mea est blasphemia; sed sunt, qui eam pro Euangelio venditent. Tu nobis pollicitus es Ecclesiam supra petram, aduersus quam portæ inferni non præualerent, supra montem sitam, quæ abscondi non posset, supra modium positam, quæ lucret omnibus quæ in domo sunt? Vnam quidem talem inuenio, in fide & doctrina constantem perpetuò; quam nulla crudelitas tyrannorum, nullæ insidiæ Hæreticorum, nullæ machinationes improborum excindere potuerunt; doctrina, sapientia, sanctitate, dignitate excelsissimam; omnibus gentibus ac populis notissimam per vniuersum terrarum orbem diffusam, vnam tamen ac

Potes quidem Diabolus quasi miracula edere, sed neque plura vel meliora quam Christus, neque in Ecclesiæ vniuersitate.
Exodi 7.

Matth. 5. 16.

Qui non possunt nobis monstrare talem Ecclesiam, qualem nobis Christus promissit suam fore, tiam si doctissimi & sanctissimi viderentur, impostores tamen essent.

velut

Si Hæretici nobis aliã meliorẽ, antiquiorem, & constantiorem, ac demum similiorem illi quã Christus pollicitus est demõstrarent, viderentur aliquã excusationem erroris sui habere, nunc vero, cum præter Catholicam Romanã nullam inueniãt, quid respondunt a terro iudici?

Matth. 12.
Catholici non quærunt miracula, vt credant, sed quia credunt, accipiunt miracula, & bona quæ accipiunt malit DEO quã Diabolo adscribere, & quãuis miracula nulla viderent, tamẽ crederẽt.

velut vnum corpus ex diuersis membris compactam, vnus capitis, vnus spiritus ductu ac regimine perpetuo gubernatam, eam nempe, quam Catholicam Romanam Ecclesiam appellant. Sed hanc Ecclesiam, Impietas, Ecclesiam Diaboli vocat; & tamen nullam aliam monstrat, illi quam tu nobis Christe Deus promisisti, similiorem. Hæc Ecclesia, quæ sola Christianorum Ecclesia antecentum, antetrecentos, antesexcentos, ante mille, ante sesquimille annos, nominata & nota fuit, nunquam dubitauit Sanctorum & imprimis MARIE deprecationem apud TE exposcere, eaq; ratione inexplicabilia, mirandis modis corporis & animæ beneficia accepisse se credidit, & in omnem posteritatem æternis monumentis consecrauit. Atqui nunc demum post sena dena sæcula arguitur non tibi sed Dæmoni seruisse; non à TE auctam, ornatam, beneficiis affectam, sed à Diabolo esse; quod quid est aliud quàm petram tuam nihil esse; portas inferi inexpugnabiles esse; ciuitatem tuam imaginariam esse, lucem tuam tenebras esse? promissiones tuas somnia esse. Teq; aut Diaboli potentia spontè locum cessisse; aut ab eo victum esse?

Sed fallor, an nescio quis obmurmurat? *Generatio mala, & adultera, signa quærit;* Atqui nos signa non quærimus, sed signa à Deo in bonum animæ atq; corporis, in ædificationem corporis CHRISTI, in vnitatem Ecclesie, in toto mundo, perpetua quadam serie, & nexu successionis atq; pietatis facta; ea Deo vni ac Christo Filio eius ascribere malumus quàm Diabolo; ne etiam cæteris omnibus, quod vel nefas cogitatu est, illum iuratũ CHRISTI hostem anteferre debeamus. Notum est Impietatis superiori sæculo præcipuum Ducem aliquando dixisse

aut

aut scripsisse; SANCTE SATHAN ora pro me; Quis deinceps ambigere potest, serio hoc illum postulasse, postquam considerat, eundem sibi & aliis persuasisse, Diabolum, regnum suum diutius ac fortius seruasse ac propagasse, quàm CHRISTVS IESVS Ecclesiam suam tueri & ornare potuerit. Si enim MARIAM, vt adiutricem in precibus aduocare Idololatria est; Si quod per has preces impetratur, munus Diaboli est; cum tota Christianitas, omni tempore, omni loco, omni occasione MARIAM inuocauerit; & quod sic petiit vt plurimum acceperit, fateri profecto necesse est Diabolum primas abstulisse, & miserum CHRISTVM (si Impietatis vocibus vti licet) cum luce sua, cum Ecclesia sua atq; magnificis illis promissis vel euanuisse vel in angulum abstrusum esse.

Vbi estis nunc vos nuper nati, qui nouam pietatem Euangelicam iactatis & veterem Catholicam pietatem damnatis, hoc est, vt vos veraces habeamini CHRISTVM fallacem; vt vestra dogmata stabiliatis, Euangelium euandidum fingitis, & Christum vobis obnoxium, quippe qui ante vos Diabolo regnanti & triumphanti suam permiserit infelicem Ecclesiam. Hoc iugulum est Impietatis, hic, sic confodienda est; Quid tu mihi laceros & malè consuetos centunculos istos scripturarum, à te solo nec intellectos nec intelligendos furtiuè cōiectas, Toto tecum Euangelio, toto verbo Dei, tota Ecclesia tecum pugna- bo; Illam Ecclesiam quero, aduersus quam portæ inferi non præualeant; illam ciuitatem quero, illam lucem quero, omnibus aspectabilem omnes illuminantem; Verbum Dei quero, quod manet in æternum, quod manet, inquã, quod temper manet, quod semper sonat, quod vbique auditur; Illum CHRISTVM, illum IESVM quero, qui

H nobis-

Dæmones tandem inuocant, qui Sanctos nolunt. Lutherus in colloquio. Cõu. Pag. 259. 286. 262. 287. impress. Eyslebii Año. 1567.

Aries Euangelicus, qui omnia Hæreticorum munimenta, validè perfringit.

Matth. 5. & 16.

Matth. 24.
Mar. 13.
Luc. 16. 1. Pet. 1.
Matth. 28.
Marc. 16.
Ps. 18. Rom. 10.
Matth. 28.

cum maneat vsque ad consummationem sæculi; qui Diaboli potentiam non eò vsque excrefcere finat, vt eius promissionis propria fides vacillet; **LE SVM** quæro talem, qui etfi nos finat ob peccata nostra aliquando à Diabolo volentes decipi; non finat tamen inuitos cogi; non finat vt Diabolus largiter tribuat, quod nos vel vnà cum Matre eius, vel per Matris suæ memoriam, hoc est, per meritum humanitatis suæ ex Matre susceptæ rogamus.

Nullum firmitus aut illustrius Trophæum est, quàm quod super Ecclesiæ petrâ erigitur.

Sed subrigamus tandem Trophæum hoc, quod vt in medio sic eminentissimum esse volo, Impietatis devictæ; Quisquis statuit, beneficia ac miracula tot à sæculis, toto in mundo per **MARIÆ** preces adiutrices impetrata, à Diabolo esse; **CHRISTO** Diabolum non solum benigniorem, sed & potentiozem fingit; quæ si pietas est, pergant nouitię pietatis sectatores cum ductore suo dicere; **SANCTE SATHAN ORA** pro nobis; nos cum veteri niuersa Ecclesia intrepidè **CHRISTVM** & nostris & **MARIÆ** precibus inuocabimus ac fidentes clamabimus, **SANCTA MARIA, ORA** pro nobis.

Omnia pietatis incitamenta Hæretici vertunt in ludibria.

Isdem porro telis occumbet Superstitio; Pignus, inquit, de **MARIA** capiunt; reliquias, imò quisquilias vndique conquirunt; si non inueniunt, supponunt alicubi vel vilissimum cinerem, vel putre linteolum, aut sordidum panniculum; & ab hisce auxilium perunt atque sperant, quàm à **CHRISTO** magis, quæ infanda superstitio est. Ego verò triumphabo, non disputabo; Sunt qui quasi Sanctorum reliquias falsas pro veris supponant; Non inficior fieri potuisse, imò factum esse; An ideo nullæ veræ reliquæ Sanctorum sunt, quia quædam supposititiæ inueniuntur? Tollas igitur licet etiam **CHRISTI** venerationem, quoniam nebulones quidam, se pro **CHRISTO**, mundo obtrudere voluerunt.

Porro

Porro sanguinem ac meritum CHRISTI, reliquiarum cultui postponi, infandum mendacium est. Ipse CHRISTVS per merita & sanguinem suum nos ad reliquias vocat, quando reliquiarum contactui & veneratiōni hanc vim præstat, vt animus corpusq; eorum qui cum Fide orant, seruetur, sanetur, bonis magnis & multis cumuletur. Mendici, ægrotantis, pereuntis, nihil interest vnde stipem, vnde sanitatem, vnde salutem inueniat; nec Christiani magnopere interest, vtrum ipsum Christus vel per crucem suam, vel per simbriam suam, vel per manum suam, vel per digitos suos, vel verbo suo, vel sputo suo, vel luto de terra factō seruare & beare velit; siue per vmbra Petri, siue per sudaria & femicinctia Paulli, mihi sanitatem aut beneficium aliquod largiatur, idem CHRISTVS est, qui hæc omnia in nobis operatur. Nihil enim diuinitatis rebus vilissimis adscribo; sed Dei potentiam prædico, qui quodcunque nobis opus est, per quiduis nobis præstare & elargiri potest. Et cur non possit Deus per **MARIÆ** linteolum mihi piè & fidenter precanti præbere, quod per Paulli sudaria potuit. Certè nec Paullus illis omnibus qui per eius femicinctia curabatur aderat; sed deferebantur ipso absente super ægrotos & sanabantur.

Viuorum inquit illa fuerunt miracula? Quid ergo? Sadduceam nobis iterum superstitionem imponis? **MARIA** Petrus & Paullus viui non sunt. Non agnoscis Deum **MARIÆ**, Petri, Paulli? Agnoscis? ergo **CHRISTVM** audi; non est Deus mortuorum, sed viuentium. Viuunt ergo **MARIA**, Petrus, Paullus, &c. *At in terra iam non degunt*; Fortè igitur nec **CHRISTVS** iam in cælo miracula facere potest, quoniã in terris vt olim non versatur? Quòd si **CHRISTVS** potest, quod olim potuit, poterit sine dubio adhuc salutem dare, non solum per in memoriam matris suæ, Petri,

Reliquias **MARIÆ** & Sanctorum, Christi passio- ni ac merito anteponi, impudentissimi mendaciū est.

Math. 9.
Marc. 6.
Math. 8.
Marc. 7. Ioan. 9.
Christus ipse & Apostoli, nos ad reliquias vocant. Actorum 5. Actorum 19.

Hæreticorum fœda tergiuersatio, cum de Reliquiis agitur, quòd Sancti non amplius in terra viuunt. Math. 22.

Pauli, &c. quorumcunq; voluerit, sed etiam per fascias suas, per cingulum Matris suæ, per sudarium, per cinerem Apostoli sui.

In cultu Reliquiarum piis Catholicis hæc sunt pposita: Spes in potentia Dei Memoria Virtutis Sanctorum & misericordia DEI imploratio.

Ecce vbi iam est illa quam tam acerbè & maledicè accusabas SUPERSTITIO? An in eo, quod credo CHRISTVM fecisse quæ fecit? An in eo quod CHRISTVM credo quantum potuit in terra, tantum adhuc in cælo posse: nempe per reliquias Sanctorum, imò per res abiectissimas, hominibus dare quod vel opus habuit; vel in fide nihil hæsitantes petunt? An in memoria MARIÆ aut Sanctorum SUPERSTITIO est? Si Patris aut Matris qualiscunq; vel cineres vel ossa, vel vestem, vel annulum, vel gladium vel quiduis aliud seruassem eum in usum, vt quoties aspicerem & vitæ & dignitatis, & virtutis & monitionum eorum: deniq; dictorum & factorum omnium laudabilium memoriam gratam innouâram, neq; ea recordatione, ad obsequendum, ad imitandum, lachrymis etiam dulcibus profusis, inuitarem, nonne hæc ab omnibus PIETAS meritissimo vocaretur? Cur ergo quod simili & meliori de causa, circa Sanctos, & Matrem DEI sit, Superstitio est? Si ad aspectum Zone Matris DEI, recorder vteri Virginalis, quo Seruator meus clausus est, & huius beneficii memoriâ dulces profundam lachrymas, supplexq; rogem illum, qui cum mundum cælo cinxisset, illo ipso tam paruo vinculo quoddammodo circumcinctus est, vt mei misereatur, & de aliqua necessitate eruat, vel aliquod beneficium impertiat; Hæcne Superstitio est? Hac enim occasione, & hoc fine ante reliquias illas MARIÆ prouoluimur, vt monumentum istud sensum corporis exacuat, sensus affectum mentis, affectus mentis, vt preces, laudes, gratias intendat, Deique misericordiam efficacius moueat.

At ista

At ista monumenta supposititia sunt, non illa ipsa quæ dicuntur. Sint sanè quædam supposita, dum non omnia; & tua quidem nil refert Heretice vera an ficta sint, propter perfidiam, nec mea magnopere interest, propter fidem. Tibi nec apud veras reliquias sensus ullus pietatis est; mihi verò apud subditicias quoque, Religio crescere potest. Potest falli opinio mea, sed non fides mea; colo memoriam redemptionis meæ & beneficiorum Dei, vnde cunque ingeratur. Imposturam non amo, non laudo, non sequor, sed facillè ignoscam impostori, qui per fraudem suam incendit & auxit pietatem meam; ille viderit quomodo Deo respondeat de fraude sua, ego Domine IESU cogitabo interim de laude tua; Porrò quæ suspecti homines suspecta reddunt, & incerta, ea malo cum piis & simplicibus vertere ad augendam, quàm cum callidis & impiis ad euertendam Religionem; & malo ipse à suspectis damnari, quàm incognitos & incertos damnare. Itaque si superstitionem times falsas aut suspectas reliquias mitte; & apud veras saltem ac genuinas multisq; miraculis probatas, pietatem exerce; aut saltem alios exercentes ne prohibe; Sic igitur Marianæ reliquiæ cum virtute diuinitus inditâ, tum fide vtentium superstitionem vincunt, & victam in triumpho ducunt.

Reliquiæ
supposititiæ
non probantur,
sed nec piis
multum nocent,
Hereticis autem
etiam veræ ac genuinæ
nihil plunt

TRO-

TROPHÆVM SEXTVM.

Argumentum.

QUæ Mariano honori ac cultui obtrectant, partim ignorantia labuntur, partim, & maiori quidem numero, malitia excæcantur; Ignorantia apud quosdam, vt simplices, miserabilis est, apud alios, execrabilis, hoc est, simulata, & hæc ipsissima est Malitia per latus Ignorantia confodienda. Ita enim hæ pestes tanquam serpentes spiris ac voluminibus quibusdam se amplectuntur, vt vno velut ictu, caute librato vtraq; perimatur. Quare simul in triumpho ante currum ducenda, & mactanda sunt, vt vnum quoque de ijs Trophæum statuatur.

SANCTÆ MARIE SALVTATÆ S. IGNO-
RANTIA, ET MALITIA SV-
PERATA.

Inscita & fraudulenta decisio
memoriae salutationis
Angelice, Catholice
inter frequentatæ

NAM pridem Catholica pietas ridetur & excitatur ab ignorantibus, vel malitiosis, ignorantius dicam an malitiosius nescio: Ecce enim, inquit, Salutigerulos istos, qui ante tot sæcula salutatam ab Angelo Virginem, sine modo & numero omnibus penè momentis salutant, tanquam aut nouam, aut meliorem salutem Mariæ & humano generi allaturi, quàm Deus per Angelum miserit, imò tanquam illa salus nunciata, vana fuerit; aut nondum perfectæ; quidenim opus est, quod semel gestum est, & vt futurum prænunciatum; id post euentum, eadem formâ, tanquam non factum repetere, & inculcare. Ecce nodum, quo Malitia cum Ignorantia se colligauit, qui aut soluendus, aut secandus est; Soluetur, vt doceantur simplices, secabi-

tur

tur, vt erubescant mali Catholici, se salutigerulos appellari, non in conuitio sed laude ducunt; quoniam enim eam salutem, quæ per Angelicam salutationem humano generi allata est, vnicè experunt, ideo primum illud quasi principium suæ salutis toties gratâ memoriâ repetunt; non tanquam expectantes, vt iterum Christus nascatur, sed vt ipsi eius salutationis atque omnium Christi meritorum fructum perfectè percipiant, eo que toto perfruantur, atque adeò, vt Christus in ipsis formetur quodammodo, & renascatur, vt etiam Apostolus loquitur; Licet enim ante tot iam sæcula completum sit, & primis statim à salutatione Angelica mensibus peragi cœperit, quòd Angelus salutando prædixit; nobis tamen, qui sine atque effectu illius salutationis nondum omnino potiti sumus, tam diu & illa, & omnia, quæ Christus gessit, licet ita memoriâ repetere ac voluere, vt quasi ante oculos, & præsentia nobis, & quod ad nos attinet, tanquam non completa statuamus, hoc est, vt etiam prima salutis mysteria sic consideremus non tanquam iam comprehenderimus, aut perfecti simus, sed tanquam paruuli in Christo, imò etiam tanquam perfecti Christiani, non minus initiis nostræ liberationis, quàm vltimo quasi actui gratias referamus.

Quòd si, quia semel ab Angelo MARIA salutata est, salutationem eam repetere non licet, quomodo fas erit cætera quoque vitæ Christi mysteria in memoriam reuocari? neque enim hanc aliâ causâ vel modo inculcamus, nisi vt laudes & grates Deo dicamus. Sed iam magis se exferet malitia & dicet; *memoriam ferri quidem posse, imitationem autem histrionicam reprehendi, absque eo enim quod & plus centies millies, iterum Mariam salutamus, salutationis illius memoriam haberi posse*: quasi verò hic salutandi modus

Fructu & effectu salutationis Angelicæ, quotidie potiri possumus.

Gal. 4.

Salutationis Angelicæ celeberrima ingeminatio, nihil habet magis absurdi, quàm frequentissima lectio, peculiaris alicuius Mysterii vitæ Christi de Euangelio.

à quo-

à quoquam aliter vsurpetur, quàm recordationis, & gratiarum actionis causâ. Quid si enim quis primo hoc salutis nostræ nuncio ita capiatur, vt quoties de eo cogitet, ad mundi contemptum, ad CHRISTI amorem vehemētius quodammodo rapiatur, quàm vllâ aliâ Sanctarum rerum consideratione; atq; ex eo affectu animi eam Euāgelii partem, in quo hæc Annunciatio descripta est, sapiſſimè, & sine satiēte voluat, atque reuoluat, & quotiescunque ab aliis negociis vacare licet, codicem Euāgelii in manus sumat, atque hanc historiam identitem percurrat, ac relegat? Quid si alius idem faciat de mysterio natiuitatis CHRISTI? quid si alteri similis sensus sit consideranti Magorum aduentum? quid si cœlestem doctrinā haurire desiderans, vel CHRISTVM duodennem in templo, vel postea iam virum hanc vel illam concionem habentem toties cogitet? Quid si in mari perichtans Christum in naui dormientem, aut Petrum super vndas currentem assiduè legat, atq; cogitet? quid si alium magis ad pietatem moueat Christus in columna, vel crucem baiulans, vel cruci suffixus, vel in sepulchro situs? nunquid vnum ex istis & similibus præ aliis sapiūs recolere, vel oculis legendo, vel animo reminiscendo vel lingua prædicando piaculum erit? An non cum ex singulis vitæ Christi mysteriis fructum haurire possum pietatis, quàm ex omnibus vnâ iunctis?

Luc. 1. & c.

Matth. 8.
Matth. 14.

Ioan. 19. & c.

Numerus salutacionis Angelicæ repetitæ, tam imperite quam improbe carpitur.

At, inquit, in numero & modo peccatur. De numero suauius rideo, si enim numerus peccatum est, nihil numerandum, Et nullum erit momentum, quo non peccemus; ipsum enim tempus numerus est. Sin autem numero & rectè vti, & abuti possumus, non numerus nobis, sed numerantis irror obiiciendus est. Sit aliquis, qui prece, sic numeret, vt putet, nisi numerârit DEO gratas non

forte;

fore; sit alius, qui preces numeret, quòd subinde vereatur, ne plus oret, quàm oportet; ille in numeri magnitudine se iactet, hic ipso numero suam pietatem coarctet; nonne eadem erit ratio, quæ pecunias numerantiù, aut eleemosynas largientium, dum alius numerat ob iactantiam, vt quàm plurimum largitus esse videatur, alter numeret ob auaritiam, ne videlicet nimium, aut iusto amplius prodigisse videatur? Hoc aut illo modo Mariam salutantes, aut quamcunque precationem effutientes, tanquam aut in multiloquio suo se exaudiendos confidentes, aut tanquam timentes ne sæpius iusto Deum inuocent, non solum Catholici redarguendos censent; sed ipse Christus grauissima oratione reprehendit, dum prohibuit, ne infidelium instar in oratione multa loquamur, & dum mandauit, vt semper oraremus, & nunquam deficeremus. Faciamus nunc aliquem esse, qui pecuniam aut eleemosynam, quam daturus est, diligenter numeret, non ex parcitate ne nimis det, neque ex arrogantia, vt multum dedisse videatur; sed vt ipsi ratio constet pro magnitudine opũ suarum largum quoque in pauperes fuisse, atque adeò eum potissimum in finem, ne minus largiatur quàm pro sua facultate p̄test atque debet; vel etiam fingamus animo diuitum aliquem vsque adeò pium in pauperes, vt quotidie & stas etiam horis denos aureos in pauperes largiatur, eosque diligentissimè numeret, eò tantum, ne quid minus miseri & indigentes accipiant, nihilominus tamen etiam extra illas stas horas, vt quæq; incidit occasio, pauperibus benefaciat, atque præterea tam longè à iactantia absit, vt hæc omnia fateatur exigua esse, imò omnes suas facultates se pauperibus, & indigentibus debere; an huic homini hæc numeratio quidquam ob-erit? aut de laude liberalitatis eius quicquam detrahet?

Numerare preces, ad iactandam vel restringendam pietatem, vitium est.

Matth. 6.

Luc. 18.

Numerus in precibus mysterii causa adhibitus, Evangelio consentaneus est.

Ps. 118.

Matth. 26.

Infulsa cauillationes Hæreticorū, quod orationem vi vocamus, Dominicam salutationi Angelicæ postponamus, quoniam hanc sæpius recitamus. Matth. 6. &c.

Cur igitur nō eadem mente quispiam preces metiri, & annumerare possit, nempe vt animaduerrat quantū temporis precibus ac orationi tribuat, præsertim cū nemo tā imperitus apud Catholicos sit, quin in numero precū mysterium potiùs, quàm inanem laudem, aut compendium orandi sequendum esse sciat? Et cur non ad recolendum altissimæ Trinitatis mysterium ter DEVM inuocare aliqua prece liceat? Cur non quinario numero quinque Christi vulnerum memoriam renouare? Cur non denario precum numero obligationem decem mandatorum Dei reuocare in animum, & ad ea implenda cœlestem aliquis gratiam flagitare possit? An fortè peccauit Dauid, cū septies in die laudem Domino dixit? imò Christus ipse cur non contentus fuit, in grauissimo agone dum versaretur, semel DEVM exorare, sed ter eundem sermonem repetiuit? Si igitur nihil in Dauide, nihil in Christo peccati numerus habet, cur habeat in nostris precibus, si neque iactabundus, neque restrictus sit? neq; enim numerū, vt necessarium requirimus, sed neque vt inutilem planè reiciamus, imò vt magnum quoddam, & commune subsidium, & incitamentum pietatis præbemus & recipimus. *Sed hoc Malitiam vexat, quòd numerum hunc potissimum in salutatione hac querimus, aliàs enim ter, aliàs quinquies, nunc decies, tum quinquagies, aliquando sexagies & ter, quandoque centies quinquagies interdum & millies Mariam salutamus, imò toties, vt præ hac salutatione nos orationis Dominica penè obliuiscamur, quippè qui vt plurimum post decies salutatam Mariam vix semel Patrem illum in cœlis habitantem inuocemus. Atque his cauillationibus mirè se nobis insultare credunt, & simplicissimi quique & astutissimi Hæreticorum. Quid enim, aiunt, planius & manifestius, quàm salutationem Angelicam orationi Dominica præferri? hoc est, Mariam Christo, & ho-*

minem

minem Deo. Sed heu stuporem eorum, qui hoc credunt! heu nequitiam eorum qui fingunt! quid mirum si sæpiùs repeto Angelicæ salutationis verba quàm Dominicæ orationis? cur enim crimini detur, id quod breuius est sæpiùs repetere? nonne idem etiam firmiter memoriæ inhæret? sed non utar hac defensione, neque illud fatebor, salutationem Angelicam Dominicæ orationi absolutè anteferri: nam hoc dum dicit, & persuadere conatur Malitia, se ipsam suo gladio iugulat. Vna enim oratio Dominica instar decem salutationum mihi est, ideo illam semel, hanc decies repeto, igitur vnicâ hæc, illa decuplâ salutatione dignior censeri potest; Et cur non ita potiùs ratiocinata est Malitia? nam ut plurimum, quod frequentius & copiosius datur in rebus humanis, habetur vilius. Sed neque hac excusatione utimur, absit enim à piis auribus, ut sancta hæc sic inter se comparemus, ut alterum extollendo alterum abiiciamus, & vilipendamus. Fatebor ergo potius esse, in quo præstet oratio Dominica Angelicæ huic salutationi? & vicissim hanc certâ ratione Dominicæ orationi antecellere posse, licet utraq; ad inflammandam religionem, ad laudem Dei, ad impetranda beneficia sit efficacissima. Sit qui centies, aut millies *MARIAM* salutet, sed sine mente ac sensu pietatis ea verba fundat, & nihil aliud, nisi loquatur; Sit alius qui interea semel orationem Dominicam piè ac religiosè recitet; Ecce tibi vnam istam orationem præstantiorem mille illis salutationibus. Sit alius è contrario, qui millies cœlestem Patrem Christi verbis inuocet, voce magis quàm mente, linguâ, quàm spiritu, & rursus alter, cuius animus salutatione Angelicâ semel recitatâ, incalescat amore Dei, ob memoriam beneficii illius, quod Virgine salutatâ accepimus.

Quantum vna
precatio præ
stet alterâ, ex
precantis pie-
tate aestiman-
dum est.

Ecce tibi igitur vnam salutationem meliorem toties ingeminatâ Dominicâ precatione, inò in eodem homine est cum plus vtilitatis & salutis affert illa salutio, quàm Dominica oratio, & rursus aliàs hæc quàm illa. Affectus enim orantis est, qui precibus quibuscunq; tandem pondus, & dignitatem præstat.

Preca-
tio Do-
minica & Sa-
lutatio Ange-
lica, pulchre
sibi respondet.

Matth. 6.

Ioan. 14. 15. 16.

Luc. 1.

Hoc quidem Dominica oratio omnibus antecedit, quòd forma, & quasi norma quædã orandi est à Christo præscripta. Sed ab ea salutio quoque non recedit, sed illud etiam addit, quod non minus à Deo præceptum est, quàm illa ipsa forma, Nam qui mandauit, sic orabit, Pater noster &c. idem etiam promisit, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; petite, & accipietis. Et quidem prius docuit Apostolos sic orare, Pater noster, &c. ac postea præcepit, vt in nomine suo eundem Patrem deprecarentur. Et quoniam efficaciorẽ spem nomini suo, quàm verbis illis tribuisse videtur, ideo præmissã illã Domini precatione, nomen Christi ingeminamus; & quod illud certius, nisi quod ab Angelo nominatũ est, priusquàm in vtero conciperetur, quodq; ad eò salutatione illã Angelicã continetur? Abite nunc, & dicite Papistas salutationem illam Angelicam, Dominicæ orationi anteferre. Et quidni anteferam, cum salutatione Angelicã excelsius longè beneficium, quàm oratione Dominicã acceperimus; non quòd hanc contemnamus, sed quòd illius memoriam non minùs efficacem, & Deo gratam, quàm huius recitationem speremus? Hoc telo confossa est Ignorantia, atque eo ipso imbecillitas Malitiæ manifesta est; quis enim hoc seriò considerans non diris omnibus deuoueat sic argumentantem Malitiam; Ergo Maria Christo præfertur, mulier Deo? Angelica enim salutio non in MARIÆ, sed in IESV laudem ingeminatur, non tantum

tantum

tantum Mater, sed per ipsam Filius rogatur, nihil enim Matri tribuitur, nisi quod ab Angelo, ab Elisabeta tributum est; & ante quidem Maria nominatur, sed tandem in IESV acquiescimus, illam salutamus, sed ab illo salutem expectamus, atq; in toto verborum illorum decursu nihil aliud, nisi IESVM querimus. Ac licet MARIÆ quoq; nomine & exhilemur, & spe compleamur, animosque ac corpora nostra ad reuerentiam componamus, tamen cum ad IESV nomen ventum est, tunc demum DEVM ipsum & Salvatorem animo concipimus, & omnipotentis numinis maiestate percellimur.

Quoniam igitur iam nihil à numero, & ingeminatione salutationis periculi est, ipsum salutandi modum excutiamus. Suggestente Malitiâ, rursus oblatrat Ignorantia: *Angelica saluatio, non est oratio, aliud est salutare, aliud orare.* Quid si quis oraturus prius salutem nunciet, nonne id in rebus humanis licet? Imò ipsa saluatio in diuinis rebus oratio est, nam & ipsum Deum salutamus; an ideo vt nos ei salutem afferamus? an potiùs, vt ipse salutem nobis donet? Quisquis enim Deum laudat, salutatur, & salutando laudat, & siue laudans, siue salutans, Deum fatetur, & hoc fatendo propitium reddere conatur, atq; adeò etiam dum salutatur supplex precatur; Imò excelsius & perfectius quiddam est salutando Deum laudare, quàm deprecando tantùm propriam vtilitatem querere; qui enim rogatur, dum rogatur, suam magis necessitatem demonstrat, qui autem Deum salutatur & laudatur, propior est cœlestium Spirituum excelsitati, qui eundem laudant, in sæcula sæculorum. *At Mariam salutare dicimur, non Deum, cum toties repetimus, Ave Maria, neque vnquam similibus salutandi modis erga Deum & Iesum nostrum utimur.* Quasi vero aliam ob causam, quàm propter Iesum Mariam salutemus: aut quis

Salutare & orare Deum, non multum inter se differunt.

Salutando &
precando se-
plus impetrant
homines, quā
precando &
flagitando.

Memoria quo-
rumcunque be-
nificiorum
Christi non
minus grata
DEO, quam
quævis preces
aut vota.

vnquam est inuentus Catholicus, cui vitio datum sit, si eodem modo ad Iesum clamaret, quòd multi sapè solent; AVE IESV, AVE Sancta Trinitas, & similia, nisi quòd fidentius Mariam salutamus; quoniam vniuersorum hominum salus ipsi ante omnes mortales primùm nunciata est; nosq; maledicto & opprobrio obnoxii eramus, quod in nos deriuatum est à miserabili Eua, quoad illud AVE primum auditum est. Itaq; qui supplex intonat, Pater noster, &c. tanquā mortalis rogat; qui ingeminat, Ave Maria, tanquam Angelus Deum laudat; ille nouum beneficium postulat, hic pro iam pridem oblato gratias agit; illius prima cura est aliquid impetrare, huius pro impetratis Deum laudare. Et quamuis ipsa hæc laudatio quædam mendicitatis species est, excelsioris tamen est animi, & vt apud homines, sic apud Deum quoque laudatores, quàm flagitatores plus impetrant; etsi diuersa ex causa; homines enim plus tribuunt laudantibus ex superbia, Deus ex misericordia. Illi videri volunt maiores, quàm sint; iste satis laudari nunquam potest; neque hinc periculum adulationis vllum esse potest; Et rogare quidem Deum possumus, plus quàm nobis expediat, nimium autem laudare nunquam possumus.

Quare alterū necesse est, vt aut Dei laudes inter res inanes, atq; inutiles numeremus, aut memoriam beneficiorū Christi, atq; adeò salutationis Angelicæ non minus Deo gratā, & efficacem censeamus, quā quascunq; preces & vota Deo facta. Quanquā ipsa Ecclesia Catholica hanc salutationem quoq; in precandi formulā redegit, dum illam clausulam salutationi addidit, Sancta MARIA Mater DEI &c. ora enim clamant vniuersi Catholici, ne iterum malitiosè calumnietur Malitia, MARIAM Christo æquari, vel anteferri. Quem n. oret Maria, nisi illū benedictum

fructum

fructū ventris tui IESVM: IESVM inquā; & hoc solo nomine tanq̄ præclarissimo Elogio Trophæum aduersus Ignorantiā insigniri volo. Adesdum itaq; quæcunque es, siue Ignorantia, siue Malitia Catholicos puerulos etiam adhuc balbutiētes audi, & in Templis, & in Scholis, domi, forisq; salutationem illam frequentātes, & breuissimo tempore, paucissimisq; verbis vniuersum Euangeliū in vna salutatione Angelica retexentes, atq; in singulis salutationibus singulas Christi actiones reuoluentes, Ave Maria, inquit & c. Et benedictus fructus ventris tui IESVS, qui pro nobis ex te natus est, IESVS qui pro nobis circumcisus est, IESVS qui p̄ nobis in templo præsentatus est. Et quid op̄ est recenere singula, cum nihil à Iesu ad Deum placandū, ad humanū genus docendum, atq; à peccatis liberandum factum sit, cuius memoria, multiplicatā salutatione Angelicā nō in nouetur? neq; magnopere interest, quo numero hoc fiat, definito, an incerto, nisi quod definitus memorię simplicitatem quia magis seruit, ideo magis vsitatus est. Vbi nunc sunt, qui impudenter iactant, ita MARIÆ dignitatē exaugeri, vt Christi merita, passio, atq; mors obscurentur? Audiant, si Domino Iesu fauēt, à Catholicis omnibus toties ingeminari illa IESV in nos beneficia; & cognoscant eos, qui à principio nostræ salutis, salutatione scilicet Angelicā initio facto, Mariam salutant, in eius mentione nō adquiescere, sed properare, vt ad eum perueniant, à quo ipsa omnem dignitatem accepit, dum magna quidem cū reuerentia clamamus Ave MARIA, sed longè maiori cū animi submissione à Maria ad Iesum transimus, & tanquā triumphantes exclamamus, Benedict⁹ fructus ventris tui IESVS, qui p̄ nobis in terris versatus est, qui p̄ nobis passus est, qui p̄ nobis flagellatus est, q̄ pro nobis crucifix⁹ est, qui p̄ nobis sepultus est, q̄ pro nobis in cœlū p̄pria virtute

Vix fieri potest, vt magis illustretur memoria passionis & meritorū Christi, quam Angelica salutatione piē, vt apud Catholicos moris est repetendo.

euectus

uectus est, qui pro nobis ad dexteram Dei locatus est, per quem nobis Spiritus sanctus donatus est, qui ad iudicandum orbem terrarum venturus est; nonne verò illi, memoriæ meritorum Christi magis infensi videntur, qui hanc tam piam, tam paruulis & magnis, rudibus & sapientibus aptam precandi & reuoluendi mysteria Euangelica formulam non recipiunt, imò despiciunt & abriciunt? nonne hæc illustris materia triumphandi est aduersus Ignorantiam & Malitiam, atq; pleno ore coram toto orbe profitendi; non immerito hanc rationem salutationis Angelicæ certo numero repetendæ, & cum ea mysteriorum vitæ Christi præcipua capita reuoluendorum, multis aliis precandi formulis anteponendam esse, non quidem, vt hic solus precandi modus seruetur, sed quòd inter alios emineat. Vnde etiam iam pridem in Ecclesia obtinuit, vt quàm maximâ celebritate & gloriâ frequenter. Itaq; & in turribus æra sonant, & in templis cymbala, & tubæ, & omnis generis instrumenta, & in castris etiam tympana atq; tormenta, vt ad salutandâ Mariam, & præcipuè benedictum fructum ventris eius IESVM omnes commoueantur.

Globuli catenati certo numero ac serie, quæ Rosaria nominamus, eandem fere apud Simples utilitatem habent quam picturæ, aut quam libelli apud Sapientes

At illud ridiculum est, certo numero & serie catenatos circumferre globulos, quibus iam vulgo tribuitur tantum, vt præ ipsi ipsum penè Euangelium contemnatur; Et hæc quæ vocant rosaria longè gratiorem odorem spirare putantur, quàm ipsa Christi doctrina, &c. Verùm iam his ipsis, quas rident catenulis Ignorantia ac Malitia vincienda est: quid enim inquitis nequissimæ? ridiculum esse sic confertos circumferre orbiculos? at circumferimus ob memoriam beneficiorum, quæ IESVS nobis præstitit. An igitur illa memoria ridicula est? aut quid interest, vtrum ea memoria per scripturam vel picturam, vel sculpturam, siue literis, siue coloribus,

siue

siue ære, siue auro, siue luto, siue lapide renouetur? qui verò vno delectatur, alterum non contemnat; nec necesse est, vt qui vnum eligit, cætera abiiciat, quin alio atq; alio tempore, aliud atq; aliud magis probat. Iam mihi salutatione Angelicâ centies quinquagies repetitâ, libet omnē IESV vitam compendio percurrere; aliàs mihi libet eandem pictam oculis ac mente voluere, iterum aliàs scriptâ pertractare, an quia plus delector legendo Euangelio, ideo simplices damnare debeo, quos magis aspectus iuuat, si eadem picta videant? quid, quòd Euangelium vel non omnes circumferre, vel nō omnes legere, nec omni tempore audire possunt; si ergo mihi calculi inter se nexi Euāgelii fructum referunt, cur non iis tanquam signis admonitoriis vti possim, imò verò debeam? nonne autem memoria Christi, conceptionis, natiuitatis, instructionis, actionis, passionis, crucis, &c. quasi vincula fortissima sunt, quibus Diabolus ita vincitur, vt quantum alioqui vellet, aut posset nobis nocere, non valeat. Ipsi igitur calculi isti, sic inter se nexi, quatenus memoriam tam efficacem præstant, vincula illa sunt, quæ quadantenus seuiſſimo illi humani generis hosti terrori sunt, atque potestatem eius cōstringunt. Sed quid ad hæc Malitia? victa & vineta ipsa quoque est, & iam expirans illud obgannit, *Sapius ostentationem, quàm pietatem in hoc queri.* Quasi verò non id ipsum quoque in sacris libris eueniat. Inuenti multi sunt, qui Biblia manu versant, magis, quòd pulchra veste fulgeant, quàm vt in eorum animo, illius doctrinæ memoria vigeat. Tollamus ergo Biblia, quoniam multi ea habentes, magis se iactant, quàm in fide proficiunt; aut si pios propter impios Bibliis non spoliamus, simplicibus quoque propter superbos hæc adiumenta, & incitamenta pietatis, rosaria scilicet ista, vel coronas, vel quomodocunque

K

nominare

nominare ea velis, siue auro radiant, siue argento candicent, siue gemmis luceant, siue margaritis niteant, siue ligno, siue lapide, siue pretioso, siue vili, siue secta, siue tornata, siue candido, siue purpureo, siue atro, siue variegato textu constent, non auferamus, sed insuper etiam nouas subinde & magis delectabiles rationes, refricandæ salutaris Christi factorū memoriæ excogitemus. Triumphet igitur Maria salutata, eamq; salutantes, de Ignorantia atq; Malitia, imò triumphet potius ipse I E S V S, in cuius vnus honorem, salutationes istæ congeminantur.

Plura quidem
Templa Mari
anum nomen
quàm Christi
aut Saluatoris,
preferunt, sed
omnia omni
no Christo
sunt dedicata.

Hebr. 4.

Luc. 2.

Sunt quidē plures aliæ insidiæ, quas Ignorantia, & Malitia honori Matris Dei occultè ponunt, sed quas imbelles, & detectas mōstrare nunc sit satis. *Plura*, inquit, *Maria tēpla consecrata sunt, quàm ipsi Christo, imò etiam longè angustiora.* Quasi verò vllum templū Christianorum esse possit, quod non sit Christo sacrum; quod autem Marianū pleraq; potiùs nomen & memoriā præferunt, quàm Christi aut Saluatoris, inde est, quod eiusdem in Mariā maior fuerit, quàm in omnes Sanctos beneficentia, quodq; per Mariæ nomen, non solūm Christus vt Deus, sed vt homo quoq; nobis excepto peccato similis honoretur. Non igitur Templa, Mariæ nomen præferentia, Mariana magis, quàm Christiana sunt, neq; in illis aliud numen colitur, nisi æternum illud, Personis trium, naturâ vnum, quod sibi ex Mariæ visceribus humanam quoq; naturam copulauit, atque in terras se demisit, vt miseros mortales cælo redderet. Illud igitur in Marianis Templis dominatur, ipsaq; Maria etiā illic non aliter affecta est, quàm olim cum diuinum illum hymnum ederet, quem adhuc eius nomine quotidiano cōcentu vniuersa Ecclesia personat: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; Et, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Quod Elogi-

um si

um si omnibus Marianis templis, tanquam inscriptū credas, insigne non solūm aduersus Ignorantiam & Malitiā, sed aduersus omnes alios Hæreticos, & Orco natas furias Trophæum est. Ideò enim Deo Opt. Max. & Christo IESV, in memoriam MARIÆ Matris eius altissima, & amplissima templa sacramus, & dicamus. Quia ILLE ILLI fecit magna qui potens est. Et, quia necesse est, vt ex hoc beatam EAM dicant omnes Generationes : atque vt idipsum etiam lapides clament, cū homines tacuerint.

Ad eundem triumphalem currum Sabbathū quoque spectat, in quo vt plurimūm Mariæ memoria celebratur, non vt pari cum Christo honore afficiatur, sed vt humanæ naturæ susceptæ ex Maria gratias agamus. Ac Sabbathum quidem post Parasceuen in præcipuo honore est, quoniam Dominicam diem, quæ omnium dierum ob memoriam resurrectionis Christi princeps est, præcedit. Huius igitur expectatione, Sabbathū Christianis religiosius est, atq; etiam ob memoriam sepulturæ Christi. Huic autem expectationi atq; memoriæ MARIÆ quoq; mentionē religiosè addimus, cuius eo ipso tempore atq; die cōstantia & fides admirabilis enituit, imò quæ tū sola vniuersæ Ecclesiæ psonam ac dignitatem videtur retinuisse. Cur igitur eius memoriā, tum aliis, tum illo præcipuè die nō concelebremus? Neq; enim ita Sabbathum Mariæ dicetur, vt in eo Marię sacrificetur; Apage verò cum ista Impietate. Nam & Sabbatho Maria nobis nihil aliud est, quàm Maria, quā Mater DEI & Christi, quā humilis ancilla DEI, sed inter mulieres benedicta, & à vero Salomone iuxta thronum suum locata, non paritate potestatis, sed Æternæ gratiæ Maiestatis: neq; quòd Sabbatho MARIAM inuoco, grauius crimen admitto, quàm si à quo-

Sabbathum
quoque MA-
RIÆ Matris
DEI memorię
destinatum.

uis peccatore Christiano, vt pro me Deum rogaret peterem, nisi quòd credo, atq; scio MARIAM non paulò plus à Filio iam in sæcula cum ea viuente ac regnante, quàm hominem adhuc mortalem impetrare posse.

Opinione diuinitatis ademtã, licet MARIAM & sanctis DEI eos verborum honores & titulos tribuere, quos impie Gentes Diis suis assignarunt.

Eademque de causa honoris plura nomina, amplioresq; titulos Mariæ tribuo, non tamen maiores aut meliores, quàm quos vel ex consuetudine, vel ex obseruantia etiam hominibus aliquando in aliquo genere perfectionis excellentibus tribuimus: Imò etiam eos audacter Mariæ assignamus, & studiosè conquirimus, quos stulta gentilitas Diis suis falsis, ac turpibus attribuit; opinionem solam Deitatis adimimus, cæteri ferè omnes, vel cærimoniarum, vel titularum honores, non solùm MARIÆ, sed cuius Sancto, cuius Christiano, suo quodam modo scimus conuenire. Quid? tu aliquem Christianum ex lege Dei & Christi viuente, nonne meliorem censes Ioue, Apolline, Marte, Mercurio? Tu fœminam aliquam Christianam, virginem, viduam, an maritam nonne digniorem æstimas Iunone, Minervâ, Dianâ? quid ergo de Sanctis, qui iam cum Christo regnant, existimas? scilicet, ideò illos beatos, sanctos, immortales dicere nò audebis, quòd hæc de suis commentitiis Diis Ethnici iactauerint? Iam igitur non solùm nomen, sed beatitudinem, sanctitatem, immortalitatem tollas licet? Quæ verò lex aut ratio prohibet, quo minùs quas laudes falsis Diis falsò gentiles tribuerunt, eas verè in verum Deum aut Sanctos eius Christiani referamus? An ideo neminem sapientissimum, sanctissimum, potentissimum agnominare fas sit, quòd falsò tales suos Deos impii nominarint? Ego verò, tantum abest, vt hoc refugiam, vt audeam etiam homines omnipotentes dicere. Ecce tibi vnum sine exceptione fide dignũ, qui hoc, vt etiam antè triumphabamus, de seipso dicit:

Omnia

Omnia possum in eo, qui me confortat; Ergo Paullus fide in Iesum Christum est omnipotens? Nunquid in Maria deterior fides quam in Paulo? Habebis igitur hac ratione Mariam quoque omnipotentem; Imò ostendam tibi quemuis de plebe Christiana omnipotentem, vel potius Christus hoc tibi ostendet. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, & quod amplius est: Quodcunque volueritis, fiet vobis; Nonne ille omnipotens, qui potest omnia quæ vult? Solus Deus omnipotens, sed per illum omnes Christiani, ipsi non mihi crede. Quisquis igitur ritè Deum precatur, omnia potest. Cur ergo si Catholicus ad Mariam exclamet, Sancta MARIA exora mihi sanitatem, sanctitatem, libertatem &c. blasphemus adhuc videtur? cur, si Mariam omnipotentem vocaret, igne dignus existimatur? Etiam illud à Christo didici, qui minimus sit in regno cælorum, maiorem esse eo, quo non fuit maior inter natos mulierum? An sola illa quæ benedicta est inter mulieres, iam in regno cælorum minus potest, minimo adhuc mortalium Christianorum? At minimus in Ecclesia omnipotens est, omnia enim in Deo potest, & à Deo in nomine Christi omnia impetrare potest; sola ergo Mater Christi ad omnia in nomine Christi impetranda, nimis quam imbellis est. O miseram (si tu vera dicis) Matrem; imò verò, ô Matrem omnipotentem, quæ Filium omnipotentem de suis visceribus nobis progenuit.

Quin igitur tandè ô stolide maus, an ô Maligne Hæretice, aut æternū ploras, aut Ignorantiâ & Malitiâ calcata, mecum triumphas, & Mariam vocas: Sancta MARIA ora pro nobis, es enim ad omnia per Filium, & à Filio impetranda omnipotens; Ille sine te potest omnia, Tu sine illo nihil; per ipsum omnia; Ille suo numine, Tu ipsius fa-

Supra Troph.
2. pag. 14. Philip. 4.

Fideles omnes
nedum MARIA, possunt
omnipotentes
vocari. &c.

Ioan. 14. & 15.

Luc. 7.

Rectè conueniunt stupor & Malignitas secundum illud, Excauit eos malitia eorum.

D. Bern. Ser.
85. super
Cant.

uore; imò verò ego miser, & quiuis peccator meâ fide atque prece, tuâ verò deprecatione, & illius inprimis auctoritate, sum, eroq; semper, vti spero, omnipotens. Nihil enim omnipotentiam VERBI clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes, qui in se sperant, & erit nihilominus vnus tantum, ac solus omnipotens & clemens DEVS, qui regnat, & triumphat cum Matre sua, cum Sanctis suis, cum Christianis suis in æuiterna sæcula.

TROPHÆVM SEPTIMVM.

Argumentum.

Prou. 5.

Displicet petulantibus Hereticis, quòd MARIAM tanquam ducem Virginitatis, & aliarum virtutum sequantur multi Catholici, atque eo nomine sodalitia instituunt, & certis quasi legibus deuinctas societates atque ordines etiam Monasticos. Nam vt ipsi sine maiori nota in omnem intemperantiam se effundere possint, omnia hac fræna, quibus Libido & Licentia coercetur, non solum abiiciunt, sed conculcant, & apud lasciuam plebem, non modò vt ridicula, sed vt noxia, exosa faciunt. Vnde fit, vt sine numero moriantur multi, quia non habent disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipiuntur. Iterum ergo triumphat Beatissima Matrum, quòd sub eius nomine ac signis Christo in perpetua puritate militant innumeri puerorum ac puellarum, virorum ac foeminarum greges, qui Libidine & Licentiâ deuictâ, disciplina, & castimonia corporis & anima coronas à DEO promerentur.

DIVÆ

DIVÆ MARIÆ, VIRGINVM VIRGINI S,
LICENTIA ET LIBIDINE COERCITA.

VALEANT, inquit, Mariana Sodalitia, quoniam benedictus Deus, per quem vocati sumus in societatem filij eius. Valeant Mariana lege, quæ in tantum numerum iam, & molè excreuerunt, ut & discere omnes nedū exequi sit difficilius, quàm seruare Dei legē. seu veterem seu nouā. Et verò iam, ipsi Christo desunt serui, postquā Maria serui & fratres, & filij, & sodales, Et nescio quæ portentosa mancipia in Ecclesia extiterunt. Liberi sumus, quia libertate Christus nos donauit: Cur igitur seruitutis iugo iterū subijcitur: licet, si modo libeat in coniugio pudicè, in conuiuio sobriè, in sacris reuerenter, in curia obedienter, in foro abstinenter, inter maiores demissè, inter æquales amanter, inter maiores modestè, in Republica communiter versari? Qui sese ubique, sit, Christianū meminit, alio monitore opus nō habet. Idem. n. est sanctè iuste perfectè viuere, quod Christianè. Apage cum isto Mariano seruitio, vni Christo seruiamus.

Ita enim uerò; Vni Christo seruiamus. In hoc ipso enim, in quo triumphas, triumpharis; Vni Christo seruiam⁹, sed ita seruiamus, quemadmodū ipse iussit ac mādauit, nempe ut ppter ipsum hominib. quoq; seruiamus. Quod cunq; inquit, vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, nō solum inquit, si cibū, si potum, si vestem, esurienti, sitiētī, algenti dedistis, si egros, si vinctos visitatis, sed ne quid forte excipias, quodcunq; siue honoris, siue amoris etiam minimo exhibuistis, & seruistis, mihi fecistis. De uiuentibus, inquit, hoc mandatum est. Maria ergo non uiuit? In terris certe iam non versatur inquit. Calumniemur ergo & cōuitiis insectemur Mariam, & Sanctos in cœlis, quoniā de terra migrârunt. Nam si eos in cœlis, iam meliore fui parte beatos, non vult à nobis sic honorari Christus, nec ma-

1. Corinth. 7.
Libido & Licentia, nō minus se quàm cetera Hæreticorum Flagitia sub Christi nomine in animos Catholicorum infinuant.

Galat. 4. 5.

Etiā qui MARIÆ seruiunt, vni Christo seruiunt.

nec maledicta in eos vindicabit; quòd si non licet Mariã & Sanctos dehonestare, licebit sine dubio honorare. Licebit igitur etiam eisdem quodammodo seruire. Nam vt quisq; est honoratissimus, ita ei quoq; diligentissimè seruitur. Ecce tibi ergo hominum Sanctorum, Mariã & Christi seruos ab ipso Christo probatos? Ne autem negligenter seruias, istis ipsis tanquam ipsi Christo seruire debes, sic vt iubet Apostolus non solum Christianis, sed Ethnicis seruire; & ipse Christus non minùs remunerari paratus est, quàm si ipsi soli seruiisses. Vide quapropter mi homo, si ego, qua tu quoque Christi sanguine redemptus, & salutari fonte regeneratus es, me seruum tuum, me fratrem tuum appellari volo, nunquid eò minùs Christi frater, socius, seruus essem? Quomodo ergo, si MARIÆ sodalis, frater, seruus dici, aut haberi cupio, Christi seruus, frater, sodalis nuncupari non possum? An quem honorem peccatori Christus fauet, hunc Mariã inuidet? An minus in MARIA virtutis & gratiã, quàm in te est? Volo Mariã seruire, cur hoc? quia ipsa Christo seruiuit. Volo MARIAM honorare, quia à Christo honorata est. Volo MARIAM rogare, quoniam à Christo semper audita est.

Coloff. 3.

Qui se MARIÆ fratres, sodales, seruos, appellari volunt, solam DEI gloriam quarunt.

Exultant ergo MARIÆ serui, quoniam Christo seruiunt. Aut quid tandem est, quod hoc genere fraternitatum, sodalitatum, congregationum, ordinum, præscriptionum, sanctionum, legum, obseruationum ac rituum deniq; merito reprehendi possit, cùm in iis omnibus nihil aliud magis, quàm Christus, quàm æterna salus, quàm cœlestia præmia, quàm virtus Christiana, quàm castitas, quàm pietas, quàm disciplina quærat, atq; id vnicè agatur, vt quantum fieri potest, omnia irritamenta, atque illecebræ scelerum atque vitiorum extirpentur, atq; adeò

quàm

quàm minimum peccetur, & quàm plurima sint è contrario ad omnem virtutem & perfectionem Christianam incitamenta? Quid, inquam, ex istis maximè displicet? an quòd Mariæ nomine ad virtutem omnifariam extimulentur? an quòd plures coniunctis animis, eadem voluntate, ad eundem finem iisdem vitæ rationibus properent? An ipsæ illæ viuendi rationes, & fines propositi, nempe castitas, sobrietas, ieiuniū, charitas, & similia improbantur? An quòd in hæc certo modo, definito tempore, præclaro ordine exequenda conspirent, & coniurent quodammodo, atq; quasi quibusdam vinculis se alligent? An demum, quòd qui ex constantis animi sententia, ex voto, atq; corroborata in virtute voluntate salutem suam quærunt, pro diligentia, vigilantia, laboribus suis promissam remunerationem expectent? In his enim omnibus aut singulis vitium esse debet, vt sodalitia, ordines, congregationes Marianæ damnentur.

Nomen ipsum Marianum iam Trophæum fixit; nihil enim Marianum esse potest, quod non sit Christianū. Ad Christianam verò perfectionem ardentius expetendam, & studiosius perquirendam incitat non solum nomen, sed multò magis exemplum Marianum. Volo ergo semper in ore, atque corde gestare Mariæ nomen, vt imitandæ eius humilitatis, patientiæ, charitatis, & omnigenæ virtutis mihi adiumento, aut munimento sit; Id verò quid incommodi adfert? an periculum est, vt Christo displiceat, qui Matris Christi virtutes imitari desiderat? *Christus, inquit, imitandus potius est.* Ita sanè: sed quoniã Christum non nisi per imaginem in hac vita contemplamur, vbi speres te illam perfectiorem inuenturum, quàm in sanctissima Matre eius. Libet igitur aliquando MARIAM, aliquando alterius Sancti vitam contemplari, & præclare

Nihil potest
esse Marianū,
quod non sit
Christianum.

facta æmulari, atque adeò eorum, quos miramur, aut imitamur nomine gloriari, siue tanquam Magistrorum, siue tanquam Ductorum. Et quid hoc mali est? Si Mariæ, si Sanctorum, si cuiuscunque hominis virtutem, vel studiis, vel præconiis sic effero, tanquam si ab ipsismet magni & sancti sint, atque adeò si Christum excludo, merito condemnor. Si autem in his non nisi Christi donum agnosco, & potentiam eius in ipso munere celebrando deprædico, sub alieno nomine ipsum Deum dilaudo. Sed omissis omnibus, nemini pio Marianum nomen potest aut exosum, aut Christiano indignum videri, qui cogitat in eo nomine beneficiorum, non solum quæ Mariæ Christus præstitit, sed quæ per Mariam in vniuersum hominum genus redundarunt, memoriam inculcari; neque satis video, quomodo honori Filii fauere possit, qui Matris eius mentionem non gratissimam habeat.

Sodalitates,
Ordines & in-
stituta Maria-
na diuersa, nõ
minus ornant
Ecclesiam quã
Rempubicam
diuersis tribus
ac status cipiũ.

Deinde hoc quoque laudis & triumphus est Catholicos inter, non solum vt pauculi quidam, & singuli, sed, vt multi, & integræ familiæ, imò etiam communitas quædam hominum inter se conueniant, & Mariæ nomen vndiquaque præferant, atque adeò, quasi publicè protestentur, se veros & bonos Christianos esse, eò ipso quòd Marianis cœtibus sese immisceant, ac propria sodalitia inter se instituant, non vt communem Ecclesiæ cœtum condemnent, sed vt illo sese digniores præstent. Atque vt in bene constituta ciuitate aut Republica, vna quædam absoluta communitas est, diuersæ tamen familiæ diuersis honorum, & insignium titulis ornatae sunt, diuersæ quoque tribus, ac distincti ordines, quorum quanto maior varietas, & conspectior differentia est, tanto maior eius Reipublicæ gloria apparet, dummodo vnum in finem conspirent omnes, nempe vt Rempubicam

saluam

saluam ac beatam velint. Sic in Christiana hac Republica, dum omnes vni Christo seruiunt, licet ordinibus, & sodalitiis distinguantur, si modò sibi Christiani nominis propagationem, propriam aliorumque salutem propositam habeant, nihil refert, vtrum vel Mariæ, vel cuiuscunque Sancti nomine, pios cœtus instituunt, scq; coniunctis studiis ad virtutē mutuò excitent; eiusmodi enim cœtus non ad destruendam, sed ædificandam Ecclesiam plurimum faciunt, neque coagmentata dissipant, sed velut Emblemata quædam exornant; neq; Sponsæ Christi vestem dissuunt, sed velut præstantissimis floribus ac gemmis distinguunt, & variegant, vt assistat Regina illa à dextris Dei, circumamicta varietate.

Dic vero mihi etiam, si quis paterfamiliâs in domo sua certum ordinem obseruari velit, an id reprehendendum est? si nulli suorum velit licere, vt ab eo ordine deflectat? Quid si plures familiæ in similem domesticæ administrationis ordinem conspirent? Quod ergo ad res humanas rectè dirigendas & expediendas consultissimū est, cur id ad virtutes adquirendas, ad conseruandam vitæ puritatem inualidum & infirmum esse putetur? Quid enim Ordines, Sodalitates, Congregationes Marianæ, vel quocunque titulo insignitæ, aliud sunt, quàm multorum conspiratio, vt certa quadam lege atq; ordine res humanas atque diuinas tractent; neq; solū certis illis legibus, sed multo magis mutuis exemplis ad Christianam perfectionem extimulentur? Nonne Christus duorū aut trium in oratione consentientium pluris æstimat, quàm singulas singulorū preces? Si duo, inquit, ex vobis consenserint super terrā, quodcunq; petierint, fiet illis. Quid si ergo ad orandum consentiant decem? quid si viginti? quid si centum? quid si mille? quid si plures etiam? quid si isti

Psal. 44.

Cœtus ac sodalitates MARIANÆ nihil aliud sunt, quàm distinctæ familiariz, aliis atque aliis legibus, optimis tamen & in priuatam ac publicam vtilitatem temperatæ.

Math. 18.

Hæretici non
oderunt sode-
litas, nisi sacra
vel Mariana.

Obligatiōē
& necessitatē
benè viuendi
quam quis si-
bi ipse impo-
nit, oderunt
petulantes
Hæretici.

omnes, non tantum simul & semel, sed sæpius, aut quoti-
die conuenerint, & consenserint in oratione ad Deum?
Licebit igitur ex Christi mandato cœtus & sodalitates,
(vel quomodocunque appellare velis) instituere ad simul
orandum. Cur non etiam iidem sic congregati simul ie-
iunare, simul corpus castigare, simul ab omni voluptate,
non solum illicita, sed etiam quandoq; à concessa absti-
nere possint? nam si singulis precari, ieiunare, castis esse
licet, cur simul congregatis non liceat? Atque hoc ipsum
est, quod Licentia & Libido virus abscondit, cum contra
cœtus, & sodalitia Mariana differit, non enim cœtus, at-
que conuentus & sodalitates odit, sed Marianas; illas au-
tem etiam scelestissimorum coitiones, in quibus estur,
bibitur, genio ac libidini indulgetur, maximè probat, id-
eoq; has ciuilitatis titulo, illas superstitionis conuitio
afficere solet. Age enim, & omnes mihi omnium ordi-
num, cœtuum, sodalitatum sacrarum, & Marianarum,
presertim, leges, & viuendi præscriptas formulas euolue;
nihil profecto magis reperiēs inculcari, quam precum as-
siduitatem, ieiuniorum austeritatem, vitiorum extirpati-
onem. Virtutum ac perfectionis studium.

Quæ, si Libido, & Licentia personata tandem vi ve-
ritatis constricta, aperte reprehendere non audet, desul-
toriam tamen temeritate eò tandem confugit, *vt in illam
quasi obligationem, quam sibi quisque imposuit, quodq; se legibus
nouis quodammodo astrinxit, acriter inuehitur, quasi bene
agere, castè viuere, carnem spiritui subiicere, vel ideò sit
deterius, quòd id facturos Deo nos siue iuramento, siue
voto, siue deliberatâ voluntate promiserimus. Et si fortè
concedant, hæc facere licere, nolunt tamen, vt ad similia
promittenda, vel quisquam instigetur, vel postquam pro-
miserit, ad eadē seruandā adigatur, atq; adeò fidem Deo*

& San-

& Sanctis eius datam, nec pili faciendam existimant. Ex quo ipso satis cognosci potest, qua fide in humanis rebus versentur, qui fidem in cœlestibus tam parui æstiment.

Ex omnibus porro fucis, quibus se Impuritas & Dissolutio pingunt, iste est, quo maximè imbelles & lippos oculos fascinant. *Sint enim, inquit, bona & laudabilia pleraque, quæ in cœtibus, ac sodalitiis istis præscribuntur. At eo ipso vitiantur, quòd illis se cœlum promereri existiment plerique, atque adeò operibus his arbitrariis confisi passionis Christi meritum & laudem imminuant, quasi eo non indigeant, qui suis idem virtutibus consequi possunt.* Ego verò ne sis nescius omninò, si iustè, si castè, si sanctè vixero, à Deo remunerationem expecto; cur enim non expectem, quod ille tam liberaliter promissit; quoniam, inquit, merces vestra magna est in cœlo? Meritum autem Christi, vsq; adeò non extenuatur à me, ut credam certusq; sim, nullius vnquam fuisse, aut etiam potuisse vel posse existere tantam sanctitatem, ut abiq; Christi merito cœlū mereri queat. Nam si absque Christo beatitudinem, aut gratiam Dei consequi possemus, non solū nihil Mariæ precum patrocinio tribueremus, sed ipsius quoq; Christi memoriam, imò ipsam eius passionē superuacuam atq; inutilem censeremus. Verūm hæc larua est, quâ se vestit Libido & Licentia, Christi meritum scilicet & passio, Hæc enim confisi, qui nullum ex bonis operibus fructum, aut remunerationem expectant, in omnem intemperantiam & flagitium præcipites ruunt, quoniam iam à Christo redempti sunt, & quidquid agunt, dummodo credant, beati sunt.

Sed quid? pugnamus adhuc? an victis insultamus? Maria Virgo virginum est, non modo ante partum, & in partu, & post partum, sed prima virginum, quæ non ex necessitate, sed firmissima voluntate, non fortuito euen-

Hæretici, ut eis liceat quicquid libet, Christi meritum, & passionē iactant.

MARIÆ Virginitas eò admirabilior, quod ex voto & sine exemplo.

Anselmus, Be-
da, S. August.
libro de san-
cta Virginita-
te. c. 4.
Luc. 1.

tu, sed ardenti voto Virginitatem Deo sacrauit. Virum inquit, non cognosco. Tu mihi licet vsque & vsque conceptus narra; & Matrem, & Dominum & Filium Altissimi; virum non cognosco. Fiat quidquid futurum est, quidquid Domino placiturum est. Virum non cognosco. Non mihi tanti est matrem esse; Filium edere; quia virum non cognosco; Potest me omnipotens matrem facere, sed virum non cognosco; Potest Altissimi Filius ex me nasci velle, sed virum non cognosco. Facio quod pollicita sum, postquam semel aperui os meum ad Dominum; Ita sim, vt ais, gratiâ plena, virum non cognosco. Ita, sit Dominus mecum, virum non cognosco. Ita sim benedicta inter mulieres, virum non cognosco. Mihi decreta, Deo deuota Virginitas est, virum non cognosco. Amabile & optabile nomen Matris & Filii; sed si potest aliqua sine viro mater esse; quia ego virum non cognosco; non recuso labores nutritionis; sed refuto voluptatem conceptionis, & sordes corruptionis, & quæ consequitur maledictionem partionis; virum non cognosco: sed si potest aliqua Virgo & Mater esse, si virum parere non cognoscens virum, si corpore intacta, & fructui fœcunda esse; si deniq; vndiq; pura simul & puerpera esse possum. Ecce ancilla Domini &c. Quis verò dubitare sanus possit, incredibile sub horum verborum integumento thesaurum latere, virum non cognosco? Ante oculos Marię Angelus assistit ante mentem Deus obuersatur, illa autem quid? triumphat, virum, inquit, non cognosco. Quid si cognoscerem? iam Virgo non essem, iam irreparabile bonum amissem, iam aurum luto, luce tenebras, cœlo deniq; terras commutassem. Vnde tibi hæc ô puella sapientia? ô tenella constantia, quæ nullis illecebris molliri, nullis viribus moueri potest.

Nulla

Nulla est, fuit, aut vnquam erit sub cœlo natio, cui non virginitas, quasi quædam diuinitas videretur, & qui rem non nôrant, spem amabant: Itaque sola professio Virginitatis, summa erat assecutio dignitatis. Vnde merito Virgini versum liberiolem scribenti Orator insultat. Tibi, inquit, Magistratus suos fasces submitunt, tibi consules, prætoresq; via cedunt. Nunquid exigua mercede Virgo es? Tanti ergo passim virginitas fuit inter homines, antequam verè virgines essent: post homines autem natos ab exordio sæculorum, nullam Sol vidit talem virginem, qualem nobis describunt Mariæ verba ista; virum non cognosco. Etiam quæ viros non cognoscebant, optabant tamen, & tacitos affectus, versibus quandoque exprimebant. Felices nuptæ (canebat illa) moriar, nisi nubere dulce est. Et quomodo poterant verè virgines esse, quæ nec Deum verè cognoscebant. Ideò audacius ac fidentiùs MARIA dicit, virum non cognosco, quia Deum inter omnes perfectissimè nôrat; Illis ad solatium viro aut muliere opus est; quibus ignotum est, quàm dulcis ac suavis sit Dominus. Si enim quæras ex MARIA, cur virum non cognoscat? quid responsuram putas? sed quis illius cœlestis animæ sensa poterit explicare? placet vicariam responsionem ab Apostolo petere. Virum, inquit, non cognosco; quia Virgo & innupta cogitat, quæ Domini sunt, quæ cum viro est, diuisa est.

Agedum, dic ergo mihi quisquis es hostis Virginitatis, quid censes? Fuit ne hæc MARIAE votiua Virginitas grata DEO? Ingratam enim vel execrabilem DEO fuisse ipsa Libido fortè, non dicet. Si igitur accepta DEO MARIAE Virginitas; an vt MARIAE & aliorum Sanctorum humilitatem, Mariæ charitatem, Mariæ fidem laudare, mirari, æmulari licet, sic etiam puritatem, casti-

Virginitas apud omnes gentes, quasi quædam diuinitas in admiratione fuit.

Vide Sen. 1. 6. Contr. & contr.

1. Corinth. 2.

Qui MARIAE puritatem aut quamuis virtutem imitari conatur, ipsum Christum imitantur.

tem, castitatem, virginitatem, magni æstimare, suspicere, imitari licet? *Christum*, inquit, *mirabor & sequar*. Sanè Christum inquam, Christus dux agminis, siue ad virtutè quamcunque, siue ad cælum. MARIA CHRISTVM, Apostoli MARIAM, tu Apostolos, ego te sequar; licet vnus, licet mille præcedant, Christum tamen sequimur. Imitatores mei estote, inquit diuinus ille Paullus, sicut & ego Christi. Dux ergo mihi Apostolus, sed supremus Dux, ipse Christus; quisquis in eodem agmine antecedit, sequenti Dux est, MARIA, nunquid te ætate, meritis, dignitate antecedit? Licet ergo Ducem eam agnoscas humilitatis, fidei, caritatis, quoniam in his omnibus Deum ipsum Ducem secuta est.

Philip. 3.

Perplexibilia
Hæreticorum
responfa, eum
de Virginitate
& Castitate
quaritur.

Matth. 19.

Virginitatis
& castitatis
donum, qui-
uis à DEO im-
petrare & ser-
uare potest, mo-
do serio velit

Licet igitur Mariam sequi Ducem puritatis. An non & virginitatis? Quid trepidas affirmare, aut negare, semel dic *Licet fortè*, inquit, *ei qui possit, nemo tamen coactus debet*. Heus planè, cur non planius loqueris? *Fortè*, inquit, *licet*. Fortè ergo non licet; fortuitam ergo fidem, & minimè certam habemus; semel dic, ô labes impura, aut nunquam dic. *Marianum*, inquit, *privilegium est; Virginem parere, peperisse virginem, nemini concupiscendum, nedum imitandum*. Hem cauillator, non de partione loquor, sed de puritate virginea. Licet ne eam vitâ, moribus effingere velle? *Liceat*, inquit tandem, *iis, qui possunt; qui potest capere capiat*. Sed qui sunt illi qui possunt? *Quibus datum est*, inquit, *auctore Christo: verba sunt enim Christi*. Agnosco Christi verba, & flagitium tuum; nunquam ad id quod insimulas, hoc dixit Christus, nec per ea verba quæsito illi respondit. Heus igitur nugator, hoc ipsum quæro; Quibus verò datur? An volentibus? an petentibus omnibus? an nolentibus obtruditur? si hoc, non solum vilis est gratia, quæ inuitis impingitur; sed etiam quo quisque erit à puritate

alienior

alienior, hoc erit gratia castitatis insignior; si verò volentibus tantum ac ritè petentibus cœlestis hæc gratia donatur vni, nonne & decem, nonne & mille, non & millies millibus, atque adeò innumeris sic ritè petentibus donari potest? An fortè cetera tempora sunt, quibus aures diuinæ ad eorum vota, qui castitatis beneficium expetunt, obfuscescant? quòd si hoc blasphemum videtur, pium igitur est opinari omni tempore, omnes homines ritè petentes audiri à DEO, qui omnia omnibus dat affluenter; nisi fortè virginitatis tam parcus est, vt solam eam, quamuis rectè postulantibus neget? Fortè tanta puritatis in cœlis inopia est, vt illi detractum videatur, quod hominibus ex ea communicetur. Hanc impietatem si abominaris, veritatem igitur amplectere; nulli prorsus ritè petenti cœlestem gratiam, nulli vel ad pudicitiam in coniugio, vel ad castitatem sine coniugio, atq; adeò nec ad virginitatem deesse. Virginitas igitur à Deo est impetrabilis. Iam quod à Deo fas est impetrare, fas est rogare: quod fas est rogare, fas est sperare; quod fas est sperare, fas est conari; semper ergo fas est puritati ac virginitati studere; Iam igitur non fortè tantum; sed certò licet Mariæ Virginitatem amare & imitari. *At eò inquit, vsque pertingere non possumus?* Ecquò non possumus? vt puritate MARIÆ Virginis pares simus. Esto; An nec eò vsque progredi poterimus, vt virgines simus, hoc est, vt sancti corpore & spiritu.

Viden' freudentem & se torquentem Libidinem, cuius iugulus petitur; *Non solent, inquit, virgines esse, quæ videri volunt, aut quæ puritatem profitentur.* Quid est hoc ipsum; non solent? quos tangit? Ego verò non de eo quod solet, sed quod potest, quod debet fieri, sermonem habeo. Potestne igitur qui uxorem non habet, quæ virum non habet (siue cælibem, imò cœlitem hanc solitatem spontè

Iac. 1.

Dignitas castitatis non imitatur, etiamsi multi castitatem professi, casti non sint.

M

delegit,

1. Cor. 7.

Hæretici non
constanter
vel asserere vel
negare audent,
castitatem
semper aut diu
seruari posse.

Dum summa
Castitatis tu-
endæ difficul-
tas fingitur, ad
omnem intem-
perantiam Li-
bidinis, ianua
aperitur.

delegit, siue aliqua necessitate suscepit) purè, sanctè, vir-
ginea cum integritate, & castè, Dei fauente gratiâ viue-
re? Imò, inquit, *vnusquisq; uxorem suam, & vnaqueq; virum
suum habeat.* Heu peruerſitatis! Iube ergo fulmenta lectū
scandant, & Apostolo fretus in ipsis cunis iugales toros
sterne. Ego autem de iis loquor, qui, vel quæ virum aut
mulierem vel non habent, vel coniugio frui, siue ex voto
nolunt, siue p̄ ætatem aut euentum aliquem non possunt.
Illi, illi, inquam, an castitatem vel virginitatem puram tu-
eri possunt? Quid faciam, vno ictu belluam confodiam, an
sic potius, vt se mori sentiat? *Potest, inquit, seruari castitas, sed
non diu.* Quid est hoc ipsum non diu? aut quàm diu ergo
potest cōseruari? dies, menses, annos, enarra, dic clarè post
q̄ temporis aut ætatis spatiū castimonix tuendæ vis in vi-
ro, in fœmina expirat? An definitū est? Igitur qui, vel quæ
vltra id tempus nuptias distulerit, impunè iam corpore
merebitur, impunè adulter, impunè incestus erit; si enim
post illos certos annos castitatem tueri iam non potest,
neccesse est, vt in libidinem ruat; vt qui semel præcipitatus
est, cum sustinere se non possit; siue scopulo allidatur, siue
terræ affligatur, siue vndis hauriatur, ipse præstare nō po-
test. sic si modus ætatis homines in intemperantiam præ-
cipites agit inuitos, ac nolentes, cur stuprum, adulterium,
incestum in homine vindicari vis? Naturam ipsam ream
potiùs agas licet, quàm ipsum miserum hominem, quem
illa libidinis præcipitio damnauit inuitum.

Ecce quanta aperta est ad omne genus flagitii & li-
bidinis vis, fœminis, in omni ætate, & statu ianua. *Imò
maturanda sunt nuptia,* inquit. Quid si autem nuptiæ pro-
perari non possint? quid si etiam post nuptias cōiugio frui
sæpè ac diu nō queant. Hoc igit tempore si tetra Libido
venas inflet, quid agendū æstuanti? quid nisi illud ex scho-

la Vene-

la Venerea? Si præsto est impetus in quem continuo fiat & cetera. Nō. n. violabo te sanctè pudor, comemorando sermone Libidinis prætextato. Cuius & ipsam pudet, dū fallere studet. Itaq; *sint sanè inquit, qui & diu & semper castè vivere possunt, at hoc perrarum est.* Ecce non vult videri Libido, libidinem suadere, etiam dum blandissimè, & fallacissimè suadet. Retractemus eius dicta. *Perrarum est homines castos ac virgines permanere.* Vnde autem hæc raritas? ab inclementia Dei? an ab hominū negligentia? an à tua diffidentia? *raros, ais, quanto malles nullos dicere, quoniā te nullos monstrare posse credis, & in quoscunq; incidisti hos vel non posse, vel nō debere ad castitatem & puritatem virginem aspirare decernis: tuaque cupiditate effrænata cæteros æstimas.* Dic enim quæso, quemadmodum fiat, vt quoscunque puritatis ac virginitatis professores videas, eos castos non credas? An secundum prouerbum, fur furem, mœchus mœchum optione nouit? An tuæ malitiæ & mulierositati aliorum infamiam vis patrocinari? an tu purus ideò, & sanctus eris, quod sanctitatem & puritatem professos calumniaris? *Exempla, inquit, & historia, & quotidiana experientia pro me loquatur; nota sunt sacerdotum, monachorum, monialiu supra, adulteria, incestus.* Fateor pro dolor, sed quid inde vis effici? *Igitur professio castitatis illicita est; & omnis sacerdotum, monachorū, monialium ordo extirpandus.* Bella argumentatio, cui geminam alteram addam tam confimilem, vt è summo puteo similior nunquam possit aqua aquæ sumi. Nota sunt Magistratum, Ministrorū Evangelicorum ciuiumq; in ipso coniugio commissa supra, adulteria, incestus. Igitur professio pudicitæ conjugalis illicita, & omnis vxorius ordo extirpandus est. *Dissimile est, inquis, nam coniugum inter se societas à Deo instituta est. Soli uaga castitas non item.* Facita esse, nunquid ideo magis istis

Horat. 2.
Sat. 1. 9.

Castitas extra
Coniugium à
Deo quoque
præcepta est,
neque Matri-
moniū magis
quàm hæc
mandata est.

M 2

quàm

quam illis, scortari, adulterari licebit? Verum quod effugit ex ore verbum; professio pudicitiae coniugum à Deo constituta est, at professio castitatis extra matrimonium non est demandata. Igitur si illi, qui in matrimonio sunt, quoniam à Deo institutum matrimonium est, debent pudicè viuere, illi qui in matrimonio non sunt, non debent castè viuere, quoniam non est institutum à Deo, vt quisquam sine coniugio castè viuat? Habemus ergo Deum aduersarium castitatis, inimicum perfectionis, si tu non nugas blattis, nam quod ad rem praesentem spectat, in sacerdote, monacho, moniali, hoc requiritur, vt extra coniugium castè viuat. *Debet, inquis, nuptias celebrare, Quid si nolit, quæ illum scriptura cogit? quid si non possit, quis illum tyrannus adigit? Quod si se libidine incestabit, siue virginitatem, siue matrimonium professus, homo vnus à virtute, virtus à se non degenerauit. Dic mihi quot adulteris opus est, vt castum matrimonium suam dignitatem amittat? totidem opus erit, vt pura castitas Deo placere desinat. Non debet ergo, qui extra coniugium est, coniugio copulari; satis est si castè viuat. Non potest, inquit Libido, & foetentem animam exhalat.*

Euangelii Lutherici finis, castitatem seruari nō posse, Fructus autem eius doctrinae, licenter libidinari.

Atq; hoc est illud signum; quo primū sublato deserta, vastata, exusta, solo æquata sacerdotum monachorum sanctimonialium collegia. Hinc raptæ, captæ, constupratæ, sanctæ & Deo dicatæ virgines, nec semel tantum, sed perpetuo incestui, fallaci nuptiarum nomine alligatæ, atque demum publicè ferè nullum nefas haberi, nisi id vnum castitatem aut virginitatem profiteri, iamq; quasi diluuiο quodam obscœnissimarum libidinum inundabat, & innatabat mundus, cū tanquam salutare sidus MARIANA Virginitas, solito clarius effulsit, tempestatemq; serenauit, Ad huius amabilem lucem etiam quam

plurimi

plurimi castitatis naufragi, cursum suum flexerunt, & feliciter tandem enatarunt. Ah piget, & pudet meminisse illius temporis quo Libidinosum & Licentiosum hoc Evangelium ex Orco primum Luthero internuncio disseminatum est. Quam miserabilis orbis Christiani, & Germaniæ facies! nonne iam omnis puritas, castitas, & virginitas conclamata videbatur? Videbatur sanè, & iam velut victrix triumphabat Libido & Licentia, nisi virginum virgo desperatis rebus subuenisset, ac veteranorum militum delectu habito, nouisq; copiis instructis, exultantes iam spoliis hostes oppressisset. Itaq; MARIÆ Virginis virginum apud IESVM Christum eius Filium patrociniū primum omnium vetera Sacerdotum & Clericorum Collegia velut castitatis domicilia ædificiis restaurata, castis habitatoribus repleta, optimis legibus renouata sunt. Similiter monasteria religiosorum hominum, tanquam Dei castra restituta, & quasi legionariis innumeris castitatis militibus sunt adaucta. Quæ verò virginitatis arces obtinent, Deo dicatæ sanctæ virgines, eæ nouis sanctissimarum legum & arctissimæ disciplinæ molitionibus ita communitæ sunt vt si voluntaria ac nefaria peditio absit, Libidini ac Licentiæ inaccessi sint ad eas aditus. Deinde incredibile est, quantum castissimorum hominum numerus inter Catholicos auxerit nouorum temporum monasteriorumque exædificationibus, vt quamuis post tantam cladem tamen non solum magnificentiam structionum, sed etiam præstantiam virtutum & puritatis cum priorum sæculorum dignitate certare posse Ecclesia Catholica; etiamnum hodie alicubi videatur. Quid ego iam commemorē nouos, virorum fœminarumque religiosos ordines, qui vno hoc sæculo, furente Licentia ac Libidine tanto numero, tanta puritate & sanctitate extiterunt, vt in iis

Post Marianos honores & fœdalitiam restaurata, Castitas quoque & Virginitas in Orbe floruit.

De his vide Thomam Bozium de signis Ecclesiæ DEI tomo 1. lib. 9.

prisci illi & sanctissimi viri, qui eremos & cœnobia incolebant, reuixisse videantur, ob Angelicam vitę innocentia.

Sodalitates
Marianę virtu-
tum quædam
plantaria sunt.

Quam meritò præterea MARIA de Libidine, & Licentia triumphat, ob sodalitates & congregationes eius sub nomine ac patrocinio institutas, inter adultos & paruulos, fœminas & viros inter, quæ plantaria omnigenæ virtutis, præsertim autem puritatis, meritò appellamus; quibus accedunt Scholæ & Gymnasia literaria, in quibus tantâ curâ & industriâ sapientiæ incumbitur, vt nihil illic Veneri, aut eius Filio loci possit esse; Nonne meritò etiam hoc exulcerato sæculo triumphat MARIA, vt Mariana & Christiana Ecclesia, quæ non solum virgines intactas, sed etiam coniuges virgineâ puritate, & viduas ignis secundi nescias non exiguo numero, suo in gremio, sua sub tutela fouet, quàm multæ corporis molliem animi robore; humilitate & modestiâ generis splendorem exsuperant? Non desunt etiam huic sæculo virgines, puellæ, pueri, non solum pro fide, sed pro castitate quoque martyres; inuenies & regii sanguinis prodigos iacturâ regni humani cœleste regnum mercari. Itaq; nobilissimos viros ac fœminas, reges & reginas deprehendas dormituros non regio thoro, sed terrâ procumbere; non exquisitâ dape, sed emendicatâ stipe victitare; non pretiosâ veste & cocco, sed veste & sacco circumdatos, seruos omnium factos, quibus omnes seruire debebant. Nonne hac ætate quoque sub Mariano præsidio strenuè voluptatibus abstinetur, sollicitè vigilatur, studiosè corpus afflicatur? Quanta apud Marianos sodales in precibus pietas, in victu asperitas, in cultu simplicitas? Demum ipsa Libido & Licentia ad Religionum, & omnium rerum confusionem excitandam tam ingeniosa non fuit, quàm Ecclesia Maria-

Idē signo 68.

Harum virtutum exempla omnes Religiosorum ordines suppediant.

na &

na & Catholica ad disciplinam & puritatem conseruandam, & augendam. Porrò hæc omnia & minuta, & pauca videri possunt de Libidine & Licentia, spolia præiis, quæ ex nouo orbe Maria reportauit Trophæa, quæ cum in oculis & ore omnium sint, vix est, vt nostris Elogiis ornatiora reddi possint. Hoc vno nihil potest esse illustrius, quòd quisquis puritatem & disciplinam amat, MARIAM sibi vtriusq; Duce[m] & Patronam vltro fatetur.

Adeste igitur casti puerorum greges, & puellarum chori; Adeste virgines sanctæ; viduæ religiosæ, pudici cõiuges. Adeste Mariani sodales, fratres, sorores, serui, & qui cunq; quomodocunq; ad gloriam Christi de Matre eius, honoris titulos vobis sumpistis. Adeste quotquot perfectam puritatẽ, & cœlestem virginitatẽ quam amisistis, suo saltem merito estimatis. Adeste, & puris animis Virginem virginũ concelebrate, & Mariæ nomen honorate, Marię memoriã frequentate, Mariæ exempla adumbrate, Marię patrociniũ implorate, & pietatis vestræ in MARIAM, remunerationẽ à Filio eius amplissimam expectate. Vos verò qui castitatem & disciplinam pessimè odistis, quiq; affectandã gnauiter Libidine atq; Licentiã pleno & militari gradu ad gehennæ putorem & carnificinã sempiternam properatis vnà cum Dea Iuga vestra & Libertate, vt quidem vobis liber appellare; re verã autem cum Libidine & Licentia, tristibus nempe Furiis, & plus olim tormentorum, quàm modò blandimentorum ingesturis, æternum plorate; aut quod malumus, tandem resipiscite, & Dei ac Christi vestri virginem Matrem MARIAM cum Christianis & sodalibus Marianis Angelicisque cœtibus, siue vocum & fidium sonore, siue verborum & laudum honore, siue innocentis vitæ pudore, piè colite, mentesq; vestras humo tandem reflexas in astra

Nemo puritatis aut virginitatis amans, non gaudet MARIÆ ductu ac patrociniũ.

tollite;

tollite; magnitudinemq; ac potentiam Beatorum ac MARIÆ præsertim, non ex humanæ gloriæ infirmitate, sed ex infinitate Diuinæ Maiestatis Iesu Christi, Mariæ & Dei Filii, metiri discite, & ad perfruenda illa eadem sempiterni Triumpho gaudia, castè viuentes, & Deo fidentes aspirate. &c.

TROPHEVM OCTAVVM.

Argumentum.

Inuidet, & imminent Heretici, Ecclesia Catholica thesauris, qui de auro, argento, lapidibus pretiosis in templis Marianis ad Dei in primis honorem, & sacrificiorum vsum, vel fidelium pietatem excitandam, vel quocumq; alio modo seruantur. Inuidiam autem & Auaritiam suam latere existimant, si se pauperum patronos fingant, Iudam in ea re Ducem secuti; Sed cum manifestum sit, ipsas à Marianis clientibus ad placandum Omnipotentem Deum, & in Matre sua honorandum, inestimabiles opes in pauperum, orphanorum, egrorum subsidia coaceruari; merito hoc Trophæum statuit MARIA, tanquam misericordis Mater, & verè totius Mundi Eleemosynaria; innumera- biles enim indigentium, mendicorum, morbidorum myriades, quæ in Ecclesia Catholica liberalissimè aluntur iuuantur, curantur, hanc beneficentiam post Christum debent MARIAE, cui tanquam Matri IESU tantas diuitias in hunc ipsum vsum Catholici consecrârunt. Et in dies maiores offerunt caritate MARIANA, Inuidiam & Auaritiam Scarioicam calcantes.

DIVÆ MARIÆ MATRI MISERICORDIÆ S. INVIDIA ET AVARITIA EXTINCTA.

Inuidiæ & Auaritix
Hæreticæ
Iarua.



ANTEQVAM Inuidiam & Auaritiam maste-
mus, audiamus eius patronos. Quos illos? V-
num Idololatram; Alterum proditorem. Di-

cite Pon-

dicite Pontifices in sanctis quid facit aurum? Alter verò; Pauperibus datū oportuit, inquit. Et tam pauculis verbis perorata causa est Inuidiæ, & Avaritiæ. Deo non est opus auro, pauperibus opus est; Aurum ergo in templis nullum sit. Aurum in templo nec Deo, nec pauperibus prodest, quid ergo illic facit? Dicam quid facit; Aurum in templis exacuit oculos liuidorum, & excæcat animos auarorum: illi ut inuideant, & ringantur, isti ut inhient, & insidientur. Quid facit aurum in templo? ostendit te tibi. Nam si eo conspecto oculi tibi dolent, liuorem, si nimis placet, cupiditatem tibi tuam monstrat. Quid facit aurum in templo? Sacrilegos allicit, & sacrilegium suadet. Dicite Hæretici, quid vos in templo facitis? Et ego dicam vobis, in templo quid facit aurū. Hoc enim facit, quod vos facitis, facit, inquam, dum vos finit agere quod agitis. Itaq; concupitum vos iniustos facit; ablatum, fures, deprehensos, pēfiles facit aut palo alligatos, & samenticios, & adhuc quæritur, in templo quid faciat aurū? Ecce tibi verò quæ præterea in templis aurum efficit. Facit nos gratos, & beneficii memores; facit enim ut cognoscatur ille auctor, & largitor omnium bonorum diuitiarumq; qui in templo honoratur. Iustitiam facit, quia debitum soluit: Aurū enim, qui in templo dedicat, ei reddit qui dedit. Sapientes facit, discunt enim aurum contemnere, qui solent templis pendere, nec aurū nimis æstimat, qui Deo destinat; nam qui auro confideret, arcis potius ac ferro clauderet, aut in terra absconderet, quàm in templo cōseruaret. Pios facit, commonet enim illius aureæ ciuitatis, cuius non ciues futuros speramus, & optamus omnes Christiani. Viden' in templo quid facit aurū? vis verbo dicam? Queis non mortalia pectora ditant, Aurea templa bonis?

Perf. Sat. 2.

Matth. 26.

Aurum in templis nō solum ornamento, sed etiam emolumento est.

Aurea Tépla,
Christi & Ma-
riæ paupertatem
illustrant.

Matth. 2.

Luc. 2.

Beda de loc.
sanct. c. 8.
Chrysoft. in
c. 2. Luc.

At Christus, & MARIA pauperes fuerunt, aurum contempserunt; Non tamen illud aurum repudiârunt, quod Magi ab Oriente cum thure & myrrha obtulerunt; Pauperes fuerunt, hoc ipsum designat in templis aurum, nempe pauperem illum Mariæ pauperculæ Filium nos diuites effecisse. Fuerunt pauperes: in aureo igitur templo Christi & Mariæ paupertatem mirari, & imitari licebit. *Non possum,* inquit; Credo propter tuam cupiditatem improbam; Sed si potest sub tegillo pauper diuitias somniare, cur non possit sub aureo tecto Christianus Christum & Mariam pauperes contemplari? Pauperes & diuites, summates & infimates, pastores & reges in stabuli pædore cœlesti fulgore illustrati sunt, tun' censes in æterna gloria stabuli illius memoriam nullam esse? crede mihi eiusdem pietatis est, & in aureo templo pauperem Christum cum Matre laudare, & in sordido stabulo maiestatem Omnipotentia Christi & beatitudinis Mariæ admirari. Et vt videas non de auro agi propter aurum, da nobis stabulum illud nudum, in quo Virgo Mater peperit, & Deus infans vagiit, & ex templis auro oblitis opulentissimū radiosissimum quoduis in orbe terrarum delige, tibi aurum relinquemus, nos ad stabulū illud accurremus, & regis opibus præterea maiores eò cogeremus. Nonne id fecerunt Christiani beatoris illius æui? Nonne stabulū, non præse argento obdlexerunt? marmore vestiuerunt, auro exornarunt? Quid hodie diuites Christiani? quid? nisi paupertatē Christi & Matris eius, auro quoq; honorant: Ideò reliquias, & monumenta paupertatis illius memoriā ingerētia certatim opibus cōdecorant, vt publicè cōtestentur, nihil tam in Mundo pretiosum videri, q̄ Christi paupertatem. Itaq; quam imitari perfectè vel non volunt, vel posse diffidunt, eam se animo saltem suspicere testifi-

cantur

cantur auro, in quo plerique cæteri mortales confidunt.

Sed eamus ad opulentissima orbis templa, quid in iis honoratissimum censetur, marmor, an ebur? argentū, an aurum? vniones, an lapides pretiosi? ad ipsam illam humilem casam, in qua non Romulus, & Remus, vrbis vnus, sed Christus IESVS, orbis totius conditor ac seruator noster nutritus & eductus est; in qua paruulus ludere visus, totius Mundi salutem sategit, minimum videbis auro & opibus vndiq; resplendentibus tribui; illi laterculi; illud cæmentum, illa area, quam muri illi inculti, & vetustate iam fumosi cingunt, illa vestigia pueritiæ Saluatoris, & quasi incunabula salutis nostræ, illa sunt, ad quæ ex vltimis terris videnda, exosculanda, honoranda ab omni hominū ordine concurritur; illuc aurum & omnis gaza aggeritur, vt demonstretur in humilitate & paupertate Saluatoris thesaurum nostrum includi. Nec alia ferè ratio templorum est, illa enim quoque sunt Dei Saluatoris nostri habitacula, quæ volumus auro ac gemmis fidem ac spem nostram testantibus, collucere.

At nimium inquit, est, quoniam auri & opum in templis nullus modus est, tanquã pietas, et erga Deū observantia diuitijs tantū & earum profusione astimanda sit. Scio Ecclesiæ thesauros auri, argenti, æris facti, & infecti inuidiosos esse, atq; ex liuore maiores videri, quæ re verâ sint, & iã penè lubet quidquid huiusmodi in templis Christianis & Marianis est, in mensum exaugere, vt tanto magis indignãdo sese dirumpat inuidia, sed nunquã nimis est quod nunquã satis est. Imensus Deus nullos amandi se, aut honorandi terminos ponit, remunerat quidem bonus Deus amantes, & honorâtes se, tanquã amauerint, & honorauerint satis; sed hoc satis est non pro infinitate Dei, sed pro imbecillitate nostra. Itaque secundum hanc aliquid satis, secundum illam nihil

In aureis Templis vile censetur aurū, præ reliquijs Sanctorum

Dionys. Halicar. hist. Rom. c. 1. de tugurio Romuli & Remi, per multa sæcula seruato

Vide histor. Lauretanam Hor. Turfellini &c.

Inuidiosi nimis videntur Hæreticis Ecclesiæ Thesauro & Templorū.

In diuinis, nō
timendum; ne
quid nimis.

neque satis, neque nimis est. Quod si in templis honori Dei gratia piaque; mente diues millia talenta, pauper auri ramēta consecret, hoc quidem satis est, illud nimis non est; sæpè qui nihil dedit, satis dedit, nunquam qui plurima vel omnia dedit, nimis dedit. Ad vitam tolerandam Christiano perfecto quiduis satis est; in Deo colendo nihil satis, nihil nimis est; Angusti pectoris est in diuinis timere, ne quid nimis. Inuidis hoc relinquamus, quibus in alienis bonis etiam quod parum est, nimis est, in propriis æstimādis nihil satis est. Sed quid agimus, relicta ne virtute Inuidiam placamus? imò Christiani Catholici inuidiorū corda lancinamus; amplificanda pietate, liberalitate, & magnificentia nostrā in Mariana & Christiana templa, sacra-ria, altaria, sacrificia, hominesque sacros? Licet igitur thesauros Ecclesie Christiane & Mariane tantos esse hæretici insaniant, eosque nonnulli rapiant, nihilominus per totum Mundum Aedes Mariane auro radiant, nec usquā tantum improbitas inuidit & abstulit, quantum alibi pietas prouidit & reddidit.

Aurum in tem-
plis facit &
fœnerat aurū

1. Timoth. 6.

Quod si ampliùs quæritur; In templo quid facit aurum? Ipsa pro nobis templa, eorumque sinus ac parietes fornicati respondeant voce reciproca, & resultante ad opprobrium interrogantis. Quid enim stulte rogas, in templo quid facit aurum? Facit aurum. Crede hoc ipsum tibi rerum naturam dicere interrogatam. In templo quid facit aurum? Facit aurum. In templis igitur quæstum quærimus? Quippini? quoniam quæstus magnus pietas cum sufficientia. Quis est enim fructus auri? Abundantia: Quis finis abundantiae? nihil deesse: Iam mihi quispiam omnium copiosorum, & qui aurum multum congestum habent, domos ac palatia circumeundo Cræsos omnes & Cræfos interroget. Audiet omnibus & singulis multa, imò de-
esse innu-

esse innumera; at ex iis, qui omne aurum & opes, Deo Mariae, Sanctis dicarunt, inuenies non paucos, quibus tum demum nihil deesse cepit, cum omnes diuitias suas cultui diuino manciparunt. Iam, quod tu mihi aurum purius ac pulchrius monstrabis quam sit animus cum diuina gratia seipso contentus, cui omnia ea parata sunt, quae non desiderat, hoc ipso longè felicior aurum possidente, cum timore perpetuo, aut amittendi aliorum fraude, vel propria morte deserendi. *Pauci sunt, inquis, qui tali modo, taligmente templis aurum donant.* Imò multi sunt, si numerum ipsum in se spectes, nec cum maiore, & peiore vulgo componas, imò in rebus admirabilibus, vel paucos esse excellentes multum est. Igitur sacrum illud aurum, non solum aurum, sed & homines aureos caelo aureo dignos efficit. Quid aurum in templo? nonne aurum facit, quando vnius liberalitas aliorum multorum munificentiam incitat, vt certatim aurum conferant, & sanctis ritibus magnificentius obeundis accommodent? Quin & aliam ratione aurum in templis facit, imò generat aurum. Nam opes Ecclesiae non tantum hominum liberalitate piorum eò usque excreuerunt, sed magis etiam occulto quodam sed admirabili diuino fauore & benedictione tanta incrementa sumpserunt, vt verum vnde quaque videretur illud caeleste Saluatoris oraculum; eos qui quodcumque ob nomen suum reliquissent, centuplum accepturos, etiam in hac vita.

Sed adhuc aliam nobis larvam Liuior obtendit. *Luxum, intemperantiam, & vno verbo abusum tantarum diuitiarum, in templis Christianis & Marianis.* Sed puer est, quem haec Mormo terret; aut enim aurum in toto mundo nullum sit, quia plerique in sui & aliorum perniciem eo vtuntur; aut si bonis quoque viris aurum propter cupidos non

Marc. 10.

Abusus opum, quae templis donantur Marianis, pietatem & meritum donantium non minuit.

eripitur; templis quoque propter pios relinquatur; Inuidia verò triumphata, tandem digno supplicio excarnificetur, & eius spolia in tholis suspendantur, cum hac inscriptione, In sanctis quid faciat aurum? Facit ut in templis sanctis homines sancti, sanctè, sancto Deo sancta sacrificia atq; vota tam illustri magnificentiâ, quàm religiosâ reuerentiâ, peragant, nuncupentq;.

Quicquid Templis, idem & pauperibus donatur.

Inuidiam Auaritia sequitur Iudaicâ pietate exornata, & huic fauces intercludendæ sunt, ne fictis sermonibus simplicioribus illudat. *Pauperibus*, inquit, *illud aurum, illas diuitias datas oportuit, quas in templorum parietes, & in Marianum cultum profundunt serui & sodales Mariani.* Sanè verò sapienter, si modò seriò; nam hoc totum quod in Dei cultum, & honorem templorum, ac *MARIÆ* quomodocunq; publicè infumitur, id pauperibus datur; illa enim templorum pulchritudo, illa sacrorum munerum celebrandorum maiestas, pauperibus quoque fruenda datur; & sicut templa pauperibus patent, ita & thesauri ac ornamenta eorundem pauperum pietati ac religioni subseruiunt. Quare eo ipso aurum atque opes suas pauperibus communicant, quod potius in ædes sacras, sibi & mendicis communes, quàm in priuatarum ædium splendorem erogant. Et quando sese possessione illius pecuniæ, quâ templis pii deuouet, abdicant, pauperibus illas dedicant; neq; enim illud tantum pauperibus datur, quod in eorum cibum impenditur, sed quidquid quomodocunq; eorum comòdo donatur. Itaq; non solum illud aurum, quod in templis publicis fulget, sed quidquid etiam in sodalitiis Marianis decoris ac dignitatis est, id non diuitum proprium, sed semper cum multis pauperibus comòne est, quoniam qui Mariam Dei Matrem verè colunt, etiam à suis conuentibus & còsuetudine

paupe-

pauperes non excludunt. Pauperibus igitur datur, quod Deo aut *MARIÆ*, sanctisq; templis dedicatur.

Est hoc vnū vulnus, quo personata Cupiditas fauciatur, sed pluribus confodienda est. Quid enim est illud quod pauperibus dari oportere blateras? Aurū & opes, q̄ ad cultum & ornatū templorum Marianorum, & aliorū destinantur? Quid ergo, an illud solū, quod templis Marianis, & locis sacris legatum, donatū est, pauperibus dandū est? Dic igitur cur hoc aurum sacrum solū, non autē omne aliud q̄ in luxum profanum insumitur pauperibus largiendum est? Rursum si & hoc & illud pauperibus dandum est, nonne, quod pauperibus debetur, pauperū est? quod pauperū est, pauperes sibi capere, imō rapere possunt, siue in templorū, siue in ædium penetralib. detentū? Deinde quos tu mihi pauperes narras, quos calamitas, an quos cupiditas depauperauit? illi modico pro necessitate cōtenti sunt; his nihil satis est. Quod si & his, thesauros omnes, ad ostentationē clausos assignas, nonne sacrilegiū, rapinas, furta suades? Sed heus patrone pauperū responde; de illo auro & argento, de illis opibus, diuitiis ac thesauris, quos toto superiore sæculo misericordes isti, vt videri volunt ex innumerabilibus templis abstulerunt, quid factum est? quotam inde partem pauperes acceperunt? quotam sibi fiscus? quotam luxuria, quotam libido vendicauit? Nos quidem scimus inter ea templa & monasteria non pauca fuisse, de quorum singulorum abundantia vnâ die celebriori longè plures pauperes pascerentur; quam modo omnib. annis inde egeni accipiūt: plus illic Catholica & Mariana pietas vnâ die erogauit, quā Hæretica misericordia toto sæculo largiatur. Non potest igitur illud ipsum aurū quod templo destinatur eâ solâ ratione & causâ pauperibus adiudicari, tanquam proprium ipsorum sit,

Hæretici dum se patronos pauperum faciunt, rapinas & sacrilegia suadent.

Hunc nodum non soluunt, sed scindunt aduersarij: & more eorum qui ad Christi crucem vigilabant, aut diuidunt inter se, aut fortiūtur, nec aliis pauperibus locus nisi qui Christum crucifigunt, & hereditatem eius dissipant.

nisi

nisi omne aliud aurum, quo carere opulenti sine noxa possunt, pauperibus spoliandum, & deprædandum permittamus, vti permisit iam sapius sibi Hæretica Impietas, & Cupiditas.

Nulla est in mundo maior misericordia in pauperes, eâ quam illis exhibent Mariani Sodales & Christiani, propter Christum & Matrem eius.

Aliquot documenta Catholica Mariana misericordie & liberalitatis generatim tantum ostensa.
1 Clerici & Catholica Ecclesie Ministri.

2 Religiosi, præsertim Mendicantes.

Sed audio moribundam nihilominus, *insipientem se rapinas, aut sacrilegium suadere, illud iniquum videri, ut muti parietes auro, viua Christi membra frigore rigeant, præsertim cû de pauperibus alendis præcepta data sint, de templis ornandis mandatum seuerè nihil sit.* Ecce verò nouum iterum nouo ac lethali vulnere faciendo ferrum præbet, præ quo quidem luforiis hætenus armis dimicasse videri possumus, hoc verò decretorium telum est, quod ipsa monente Rea vibro. Ostendendum enim est, eos, qui Mariana templa auro & opibus condecorant, pauperum non obliuisci; Quid obliuisci? ingentes & admirandas diuitias in verè pauperes congerere; imò longè maiores gazas alendis pauperibus, quàm templis ornandis destinare. Idq; adeò, vt si ratio conficiatur eorum, quæ viua Dei templa liberalitate Marianâ sibi donata absumunt, tunc id, quod inter ornamenta saxeorum templorum remanet, exiguum, ac minimè inuidendum videri possit. Primum, nonne in pauperes cõfertur quod in Dei & Ecclesie Catholicae ministros impenditur, qui magnam partem, aut pauperes genere sunt, aut diuitiis sponte se patriis abdicantes, paupertatem voluntariam professi quærendâ paupertate, diuitias illas inuenerunt? Quot sunt pauperum monachorum greges, ac religiosorum hominum examina? Vnde aluntur, nisi eorum liberalitate, qui Mariana templa & monumenta, auro & opibus exornant? Contemplare ergo, mihi non solum Ecclesiarum, monasteriorum redditus, ac prouentus annuos, sed quotidianas in clericos pauperes, ac propter Christum mendicantes religiosos eleemosynas; Statue iam in vna aliqua

provincia

provincia grandi hæretica præter mendicos stipem osti-
atim accipientes, totidem præterea alios pauperes, quot
in Catholica aliqua vrbe aut puincia sunt Clerici, & mo-
nachi quotidiana de liberalitate viuētes, noñe incredibi-
le videbitur tot pauperes quotidie ali posse. *At, nugatur,*
monachi isti non sunt verè pauperes. Sint an non sint, non iam
quæro; Illud satis est ad triumphandum de Auaritia, quòd
tanquam pauperes stipem accipiant, & quòd tanquam
pauperibus tam multa largiantur, tantùm Mariani Chri-
stiani. Deinde, noñe pauperibus impenditur, quod Scho-
lis instruendis, conseruandis, ornandis adhibetur? At vix
vlla templa sunt, quæ non suas Scholas adiunctas habeāt,
in quibus ipsis quoque puerulis alendis, aut aliquo bene-
ficio iuuandis magna vis pecunię consumitur? Sed ad ma-
gis miranda & propriè Mariana veniamus. Nonne iidem,
qui Mariana templa construxerunt, & dotarunt, amplif-
sima quoque nosocomia & Xenodochia exædificârunt,
& collocupletârunt, vt celebrioribus in locis nihil quid-
quam pauperibus ad cibum, vel ægrotis ad medicinam,
vel peregrinis ad necessitatem deesse possit? Quid? ipsos
pauperes & mendicos vel roga, vel sectare, vide quo tur-
matim & gregatim conuolent, deprehendes eorum mul-
ta millia ad Mariana templa, ad Mariana festa, ad Maria-
nas peregrinationes conuenire, idq; in toto ferè orbe ter-
rarum, & hæc tam innumerabilis pauperum multitudo
interdum quidem vnius a ut alterius opulentioris Maria-
ni sodalis liberalitate alitur, interdum de bonis templo-
rum, quandoq; magistratuum præsertim Ecclesiasticorū
benignitate, plerumque etiam collectitia stipe ipsorum
peregrinorum pauperum sustentatur. Quòd si quis celeb-
riora Mariana festa consideret, & in iis concursationes
pauperum ad Mariana nobiliora in orbe Catholico tem-

3 Scholastici
& Studiosi eor-
umque habi-
tationes & Gy-
mnasia.

4 Nosocomia
& Xenodochia
Mariana.

5 Stipes & e-
leemosynę que
in singulis ce-
lebritatibus
Marianorum
Templorum,
in pauperes
erogantur.

6 Eadem, si
nobiliora lo-
ca consideres,
& coniungas,
planè regios
sumtus æ-
quant.

O

pla,

7. Quæ quoti-
die in paupe-
res, à Marianis
Catholicis cō-
feruntur ob
Christi & Ma-
tris eius hono-
rem elemofy-
næ, sunt inæsti-
mabiles.

pla, omnemq; numerum pauperum inire, vtcunq; volue-
rit, facile inueniet, illis omnibus, vel vno die alendis regii
etiam alicuius ærarii opes exhauriri posse. Rursum si ea-
rum quoque Eleemofynarum omnium, quæ tali die, tam
diuersis in locis perfecta ratio confici posset, id quoq; ap-
pareret aliquot talentorum auri millium summam habe-
ri ex sola stipe conuenarum Marianorum Christianorum
ac peregrinorum sodalium. Nouimus in vna Æde Ma-
riana, quæ tamen non est inter primas ac celeberrimas
(nisi fortè vnus prouinciæ) non toto biduo supra duo au-
reorum millia collecta fuisse in vsum pauperum solum-
modo cessura. Deniq; quod omnibus in festis Marianis a
pud omnia templa & monumenta Mariana à Marianis
sodalibus & Christianis in honorem nominis Mariani
toto anno toto in orbe in pauperum vsum, siue alimenti,
siue vestium, siue pecuniæ, siue rerum pretiosarum expen-
ditur, impenditur, & confertur, id cum immensis opibus
ærarii Romani, cum locupletissimum fuerit, certare, eas-
que exsuperare posse, planè nihil ambigo, securusq; tan-
dem aduersus Cupiditatem & Improbritatem firmo con-
stitutoq; Trophæum hoc, nullâ vi vel fraude reuellendum;
MARIANVM ÆRARIVM, quod idem & commune PAU-
PERVM ÆRARIVM est, omnium quæ sub cælo sunt, fue-
runt, & erunt, locupletissimum esse, perenni largitatis flu-
mine exundans, & de honore MARIÆ magnæ Ma-
tris DEI scaturiens, vti ea meritò omnium gen-
tium linguis MISERICORDIÆ MA-
TER sit cognominata.

TRO-

TROPHÆVM NONVM.

Argumentum

Primis furoribus exorientis Hæreseos superiori saculo sexto decimo, cum omnia susq̄, deq̄, ferrentur, & agerentur humana & diuina; sacra & profana, atq̄, omnem vim crudelitatis, & tyrannidis sua in Ecclesiam Catholicam Romanam vniuersa inferorum cohors exereret; impudentissimè sese efferebant iactando, & tanquam vaticinando, præsertim Ministri Diaboli, & incentores omnium flagitiorum, breui Catholicam rem omnem funditus delendam, inter quos ille Gyganteus Lutherus hoc suum elogium eminere voluit; Pests eram viuens, moriens ero mors tua Pape. Iam verò cum meritis, & deprecatione B. Mariæ Virginis, Papæ Principatus, Ecclesiæq̄, dignitas non solum non imminuta, sed singulari Dei clementiâ secundum promissionem à Christo factam, inter immanes procellas, etiam aucta, & amplificata sit, ipseq̄, honor, & cultus B. Mariæ Virginis, cui omnes Hæretici bellum indixerunt, incrementa maiora ceperit, merito de falsis & mendacibus omnibus Prophetis triumphat Maria, qua semper etiam in Ecclesia habitata & decantata est victrix, & expugnatrix Hæresum, & Hæreticorum omnium, cuius Victoriæ & Triumphum omnium seculorum atatibus, & hac vltimâ quoque memoriâ nostrâ illustrissima existunt monumenta.

DIVÆ MARIÆ VINDICIATQVE VICTRICI
S. HÆRESI ATQVE PESTILENTIA
DOMITA.

PESTIS eram viuens, inquit; O magna vis veritatis, Pests, inquit erā; Cur mihi credidistis? pestis eram; cur me amastis? pestis eram; cur meliora deseruistis? pestis erā. O Evangelici, O Lutherani, O Ministri, cur Luthero duce, & auspice tantas res mouistis? pestis eram. Omnium seculorum certæ, & memorabiles sunt clades, ego huius seculi pestis erā.

Luthericum
de seipso testi-
moniū, Pests
eram viuens.

Quid alios inculatis? Desinite mei Ministri alienis cantilenam illam occinere; Vos estis, Deus est testis, tristissima pestis; Vos, vos estis, inquam, vos mei pulluli, mei columbuli; Nam & ego Pater vester, Doctor, & Ductor vester, pestis eram; Pestis eram viuus, & viua pestis eram: viua, nō nobilitate functionis, sed nobilitate infectionis: viua non exteriora perurens, sed per interiora furens: viua non corpus tantum, sed animum figens. Viua pestis eram, non languida, sed velox; non immatura, sed præcox. Pestis erā viuus; viuendo & conuiuando, viuendo, & bibendo, viuendo & vouendo, pestis eram; viuus pestis eram, per omnes vitæ meæ functiones pestis eram; Dum vtero matris clauderer, pestis eram; dum in cunis iacerem, pestis eram; dum cucullo tegerer, pestis eram; dum incestas nuptias agitarer, pestis eram; dum concionarer, pestis eram; dum tacerem, pestis eram; dum scriberem, pestis eram; Exquiritis exemplum vitæ meæ, pestis eram; Disciplinam doctrinæ meæ, pestis eram. Fructum Euangelii mei, pestis eram. Pestis eram viuens; quod vixi, dum vixi, pestis eram; peste fatus, peste natus, peste creui, pestem seui, dira pestis infœlicis æui. Miseri qui me obseruastis, pestis eram; Beati qui me fugistis, pestis eram; oriens, viuens, moriens, pestis eram. Nullum certius oraculum Lutheri ore vnquam auditum est, quàm hoc; pestis eram viuens; Sanè pestis, quæ Ecclesiam vacuefecit, & tartara repleuit. Nam ne pestem aliquam leuem existimes, Papæ pestis erat; Ecclesiæ, pestis erat, animarum, pestis erat, charitatis & concordia pestis erat. Eorum enim omnium, quæ Papæ nomine comprehenduntur, pestis erat: Sæuiebat in Patrem, & filios; in Caput & membra Ecclesiæ. Pestis erat Regum, ac Principum, pestis quoque subditorum, pestis nobilium, & rusticorum; communis patriæ, communis Reipub. commu-

nis fidei Christianæ, pestis erat. Hactenus rectè habet Luthericum Vaticinium, cætera nunc videamus.

Moriens ero mors tua Pape. Hem Lutherus moriens mors est Papæ? qua sententia? Quam enim tu mihi mortem Papæ memoras? an eam, quam infert Papa? an eam, quæ Papæ infertur? De illa si sermo sit, nihil est hoc dicto verius; si de ista, nihil vanius. *Moriens ero mors tua, Pape:* Nam quòd modò cum æterna morte confliktor, quod vlticibus flammis excarnificor, & ad intolerabiles pœnas moriens renascor, hac me rediuuâ morte, & immortali cruciabilitate, Papa damnat. Hæc est mors Papæ, quam eius inferunt sacra fulmina, de cœlesti missa potestate, à me contempta quondam, & irrita, Non me dicam mortuum; qui verè mortuus est, aut beatus, aut nullus est. Non sum mortuus; Mors sum, mors ero, sed mors æternum moriens, & quidem mors Papæ, quem execrabili odio sum persecutus, quem detestabili maledicentiâ sum infectatus: nunc autem miserrimus omnes admoneo, & magnâ contestor voce per umbras, *Discite iustitiam moriti, & non temnere Papam.*

Sed non de hac, verùm de alia morte vaticinatus videri voluit impostor vates: nempe moriente ipso Paparum dignitatem, auctoritatem, potestatem, interituram, ipsâq; illâ peste, quam viuis disperferat, Papas omnes ita conficiendos, vt tandem nullus Papa futurus sit. *Moriens ero mors tua Pape, vt Papæ nomen, & munus morte meâ pereat. Ero mors tua Pape. Papæ.* Itane Papæ mors est Lutherus moriens? O mortem imbecillam, imò potiùs ô Vatem mendacem: Tot iam à morte Lutheri Papæ fuerunt, pleriq; longæui, & fœlices; vbi ergo mors illa Lutherana? vbi est mors stimulus tuus? Homines interea video mortuos multos; Papa Ecclesiam fœlix regit, & reget,

Lutherus
mors Papæ.

Math. 16.

Ephes. 3.

Papæ mors est,
quicquid con-
tra salutem a-
nimarum est.

1. Corinth. 15.

dum Christus regnabit. Nisi enim Christus falsus vates est, non solum mors, sed nec inferorum partæ prævalent aduersus Ecclesiam, cuius vicarium Caput est Papa. Ero mors tua Pape? An nescis Papam immortalem esse, nisi fortè moriatur & ille, à quo omnis Paternitas nominatur in cælo, & in terra?

Est tamen, est præterea, quòd gloriatur Lutherus morientem se, mortem esse Papæ. Nam Papa nullus ab ipsa Lutheri morte est, aut fuit, cui non morte corporis fuerit acerbior mors, & strages animarum, quam fecit Lutherus, dum fœdus percuteret cum morte æterna, & ad eandem viuus, moriensq; agmina innumera peritorum traheret. Quàm multi ex istis Papæ fuerunt, qui læti lubentesque sanguinem funderent, mortemque opteterent, si animas peste Luthericâ infectas, redimere possent. Toties Pius, ac Clemens Papa moritur, quoties animam Hæreseos veneno correptam miseratur. Illorum enim spiritu reguntur Papæ, qui dicere audent: Quotidie morimur propter salutem nostram fratres. Et quid tandem? *Ero mors tua Pape*, ait; Heus Luthere, Papa mortem non timet; Si occides, reuiuiscet; si non occides, morietur: Homo morietur, viuet Papa. Tu qui pestis eras, modo tibi ipsi magis, quàm Papæ, mors es moriens; imò mors es reuiuiscens, hoc est, ludibrium perpetuum Dæmonum, pabulum ignis sempiterni. I, Nunc superbe, & te Papæ pestem, ac mortem esse impudenter gloriare. Nunquam beatam illam Petri sedem pestilentia affluit, vel mors ascendit; sedet illic, & vsque ad Mundi conflagrationem sedebit foelix Christi vicarius, qui Ecclesiam regat, qui ab ouili Christi pestilentiam, & mortem sæuam arceat.

Pestis

Pestis eram viuens, moriens ero mors tua Pape. Pestis Papæ, à Papa profligenda; Mors Papæ, à Papa sternenda, Papa quod infecero purgabit; quod occidero, vitæ restituet; seges quædam ero, & materia victoriæ, & laudum Papæ; vt præstantissimorum Medicorum periria, vehementiâ, & nouitate morbi clarescit; sic augetur gloria Papæ pestilitate doctrinæ meæ, Vt crudelitas hostium victoris clementiam extollit; sic tyrannis nostra iustam Papæ potestatem illustrabit. Pestis demum, eram, & morsero, quam Papa detriumphabit. Occupauit quidem superiore sæculo adolescente, quasi scabies quædam vaticinandi plurimorum, & furiosorum Hæreticorum animos, prædicentium similia: Breui erit, cum nullus Papa erit, Sacerdos nullus, Monachus nullus, sanctimonialis nulla, sacrificium nullum, ara nulla, signa & imagines nullæ, & similia; cum speraret Lutherana pestis, se totum Orbem infecturam, vt omnis etiam religionis sensus apud mortales euanesceret. Et fecisset profectò, nisi memor promissionis suæ clemens Deus seruasset sibi Ecclesiam immaculatam. Abripuit illa pestilentia infinitam multitudinem, pro dolor! sed nulli nisi volentes, & incauti, & propriâ malitiâ perimunt. Quin etiam multi, tanquam à limine mortis resiliences, ad Ecclesiam matrem purgandi & sanandi reuerterunt.

Videmus igitur, & dolemus, quot Hæresicon pestilitas, animas absumpserit; Videamus, & gaudeamus, quot vicissim myriades alio in mundo Ecclesiæ accesserint; Soboliam degeneri, & corruptæ noua, & melior, & copiosior proles successit. Age, mihi ex omnibus à primo Christianitatis sæculo delige, quod videatur fertilissimum fuisse, aut propagatione Euangelii felicissimū;

demon.

Pestilentiam, mortemque quam Lutherus Mundo intulit, Papa profligauit.

at. Sicut obit
appetit

Vaticinia Lutherica, & Hæretica de interitu Papæ & Catholicæ Religionis.

Non est illata nostro Orbi tanta clades à peste Hæretica, quanta in alio Orbe ad Catholicam facta accessio.

at. Sicut obit
appetit

Vide Epist. Indicas & Japon.

Alexandrina
Ruthenica, Japonica ad sedem
Apostolicam
Legationes.
Anno 1596.
Anno 1595.
Anno 1587.
Vide Th. Bozi-
um signo 6. de
propagatione
fidei &c.

demonstrabo statim non minus hac ipsâ ætate foeliciter, nec minus longè lateq; legis Christiane Catholice terminos dilatatos esse, vt cum quouis sæculorū illorum beatorum certare hac in parte possit sæculum hoc decimum sextum, illud nempe ipsum, in quo tetra illa pestilentia Orco erupit, & sæua illa mors Lutherica, hunc cælo, & Zelo frigidior orbem peruasit. Et iam Apostolicis viris Orbis deerat, cum nouas eis terras, mundumque nouum Deus aperuit, quo nomen Christi, doctrinamq; inferrent, & Apostolicum sæculum sanctitate vitæ, & potestate miraculorum, & virtute verbi Dei, referrent: quoq; testatior esset hæc in nouum efflorescentem orbem beneficentia, magnam & horribilem, vetus, & ingratus Orbis ruinam, coniuente Deo, sustinuit, quâ tamen ruinâ domus æterna Dei labefactata non concidit, sed illustriore loco magnificentior, & spectabilior exurgit: nec, quâuis innumerabilium hæreticorum defectione, Ecclesiæ species & decor plus perit, quàm si de corpore virgineo aut pilus decolor pereat, aut salina largior fluat, aut vnguium cadant præsegmina, aut amiculum detritius meliori commutetur. Imò verò tam visenda, & augusta, quæ propinquis sordescibat, remotissimis populis, visa est Ecclesia Catholica, eiusque supremum in terris caput, quod proditores monstrificum passim fingebant, & pingebant, vt honoratissimæ & magnificentissimæ legationes Româ venerint, capita sua Apostolicæ sedi subiicientes, eodem ipso tempore, quo degenerantes filii matrem, quæ nos Christo regenerauit, ingrati persequerentur. Omitto Alexandrinâ, & Ruthenicam Legationem, & cum Romana sede cõciliationem. Vna illa Japonica tam illustis fuit, vt dignitate, & admirabilitate post primam illam Magorum proxima, & clarissima poni possit, quæq; adeo sæculum

culum istud super alia foelicitari, & nobilitauerit; quod-
 que magis suspicias, infida, & ingrata illa in matrem pro-
 les, desultoriã leuitate in mille sectas, interea dissecta, &
 dissecta est, dum peregrina, & aliena haectenus soboles, foel-
 lici adoptione in vnitatem fidei Catholicae congregatur.
 Corripuerit igitur, vt corpora prauis humoribus infecta,
 sic animas malis cupiditatibus obnoxias superioris saeculi
 vehemens pestilentia, dum & illud constet, non paucio-
 res in tanta clade seruatos, neque tam multos alibi infe-
 ctos, quam rursus alibi meliore aurã afflatos, & resectos
 fuisse; Ecclesiaeque amplitudinem non tam ab improbis a-
 licubi imminutam, quam alibi amplificatam esse.

Et hic triumphus est Marianus, quem post DEVM
 Opt. Max. & Christum IESVM Mariae quoque precibus,
 & meritis adscribimus; cuius quodnam praeclearius & ma-
 nifestius esse signum potest, quam quod ipsa illa terribili
 pestilentia grassante, cultus tamen Beatissimae Matrum;
 & castissimae Virginum, in tantum auxit, vt penè dicere
 audeam, nunquam honorem Mariae illustriorem, ac cla-
 riorum in Ecclesia fuisse? Quando enim vnquam sub hoc
 nomine, tanquam sub signo sanctissimo, & augustissi-
 mo religiosius, aut constantius, & maioribus copiis aduer-
 sus Hæreses militatum est? Quando plures Reges, Princi-
 pes, Reginae, Mariano se nomini, & patrocinio foeliciter
 commendarunt? Quando templa, peregrinationes, sup-
 plicationes, caeremoniae, pompae Mariana frequentio-
 res, ornatiores, illustriores instructae? Adde etiam, quan-
 do miracula, beneficia, merita Mariana in genus huma-
 num, in sodales, in alios, in pauperes, in nobiles, plura, no-
 tiora, insigniora sunt edita? Et quando domus, scholae, vr-
 bes, fora, syluae, maria, monumentis Marianis celebratio-
 ra reddita? Imò iam trimuli, & quadrimuli pueri Mariam

Triumphus
 Marianus, q̄
 adhuc grassan-
 te pestilentia
 Hæreticã, MA-
 RIAE tamen
 laudes & ho-
 nores incre-
 menta magna
 sumserint in
 Ecclesia Ca-
 tholica.

pleno ore canunt, & laudant; Maria illis patrona est, Mariæ laudes decantant; Mariæ se deuouent, Mariam votis, Mariam voce, Mariam factis loquuntur, O sancta Maria, vnanimante corde, & linguâ proclamant, à Maria præsidium per Christum expectant, quoniam Maria est, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, qui est sola, & certa spes fidelium hominum, Homo ipse, atq; adeò dignus, qui homini Matri humanum saltem velit tribui honorè, qualem minimus hominum suæ matri fauet, nempe, vt si ille non sit pessimus mortalium, mater quoque aliòquin pudica, & omnium confessione sancta, non eò habeatur deterior, quòd filium procreauit maioris dignitatis participem, quam ipsa potuerit pariendo dare.

Multis ac miris modis MARIA Hæreses expugnauit

Pf. 73

Exod. 15. Iud. 4
Iudith 16.
Ethier 8.

1. Fide propria
Maria Hæreses sternit.

Luc. 1. 10. 19.

Sed stabiliamus tandem & hoc Trophæum Mariam Pestilentiam profligatam, & Hæresi expugnatam, ac frementibus Hæreticis omnibus, vetus illud, & iam pridem in Ecclesia decantatum Acroama Mariæ Reginae victrici, & vindici occinamus; Gaude Maria Virgo, cunctas Hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. Sola, inquam, quia sola peperisti illum, qui contribulauit capita Draconum in aquis; sola post filium tanti apud Deum meriti, & gratiæ, atq; in homines misericordiæ, vt per hanc velit, per illam possit Hæreses omnes expugnare. Triumphauit altera Maria de Pharaone; Iahela, de Sisara; Iuditha, de Holoferne; Esthera de Amano, suis, & Patriæ hostibus peremptis: tu sola inter omnes emines; & Vna tot Hæreses ante triumphalem currum ducis. Hæreses omnes interemisti, cum Angelo credidisti, cum Christum Deum & hominem peperisti, cum ad crucem filii tui gemebunda stetisti, ac sola constantem in eum fidem, fugientibus Apostolis, retinuisti. Magna quidem hæc, & memorabilis victoria, quæ soli Mariæ diuinâ gratiâ concessa est: Sed non hac so-

lâ ratione

lâratione Hæresum victrix, & expultrix est: nam Hæreses omnes quoque interemit, cum Euangelium dictavit, hoc est, cum suæ conceptionis, partionis, pueritiæ Christi gesta panxit. Quid cum sancto Iacobo Apostolo in Hispaniis apparuit, & in rebus dubiis quid agendum admonuit, nonnè quantum ab ea Apostolus Euangelizans confortatus, tantum Hæreses omnes tum emergentes sunt labefactatæ? Quid cum Apostolorum plerosq; ad mortem, & apotheosin suam mirabiliter conuocauit? nonne tum quoque fidem stabiluit, vt Hæreses omnes contererentur. Nonnè Hæreses expugnauit, cum Gregorio Thaumaturgo, Catholicæ fidei formulam præscripsit? quando Cyrillum patriarcham Hierosolymitanum, ad pacem, & concordiam cum D. Chrysostomo reduxit? quin nulla quoque fuit ætas hominum, quâ exortis nouis Hæresibus Maria non aut beneficiis pios in fide vera conseruarit; aut cœlesti virtute contra pestes eas dimicauit; aut incredibili vindictâ contumaces mulctarit: Nonnè de Hæresi triumphum egit, quando Iulianum Apostatam, & tyrannum, Hæreses omnes callidè in perniciem Christianorum fomentem, cœlitus iussit occidi, & sanguinem vomere, quæ ingurgitarat? Nonnè Hæreses extirpauit, cum Duci suo Narseti consultrix, & adiutrix victoriæ semper in bellis contra Arianos adfuit? Quid, quod ipsa etiam tantæ virginis imago in bellis contra impios, magna cum pompa, & maiori cum fide traducta, hostes strauit, atque deleuit? Quid nonnè Hæreses interemit, quando Nestorius patriâ extorris linguam vermibus corrodentibus, viuis dein à terra ob cōiucia in Mariam effusa, haustus, & miserabiliter absumptus est? Nonnè prostratæ sunt Hæreses, dum Copronymus, & ipse Mariæ, eiusque imaginum hostis acerrimus, febre æstuat, & elephantiasi putrescit, ac vix

2 Dum Euangelium dicitur.

3 Cum Apostolos consiliis iuuat.

Vasæus in Hist. Hisp. citante Bozio sig. 36.

Niceph. lib. 2. c. 21. & 15. c. 14.

4 Dum Catholicos Doctores instruit & conciliat.

Greg. Nyss. in vita Gregorii Thaumaturg. Nic. lib. 14. c. 28.

5 Poenâ & vindictâ de Hæresibus sumptâ. In vita Basilii magni.

Niceph. lib. 17. c. 13.

Paulus Diac. Nic. Chon. lib. 5.

Niceph. l. 14. c. 36.

Zon. 3. Ann. & Eutr. lib. 22. rerum Rom.

Idem Zonar.
lib. cod.

Niceph. L. 18.
c. 33.

Lindan. lib. 2.
c. 2. de sug. Ido-
lis.

Idem in Apo-
log. 2. Religio-
nis Cathol.

MARIA, Hære-
ses fortissime
sternit, sua in-
cipientes suos,
& omnes ho-
mines benefi-
centiâ incredi-
bili.

Simeon Me-
taphr. ex Euty-
chiano Patri-
archa &c.
Paul. Diac. &
Conc. Nic. 2.

demum tantis malis doctus, palinodiam canit, Mariâ vl-
tricem scelerum agnoscit, & honores eidem restitui iu-
bet? Nonnè & ante hunc in Leone Isauo hæreticam im-
pietatem, seuerissimè, & acerbissimè vlta est? Nonnè Hæ-
reses occubuerunt, cum simili vltione, vt impietatis, sic
imperii succesores, Leo quartus, & quintus; Michael
Balbus, Theophilus & eius filii perierunt? Hæreses inter-
emit Maria, quando eos, qui nomini Mariano in ludo
blasphemè insultabant, tetri Dæmones arripuerunt, af-
flictauerunt, occiderunt, Nonnè Hæreses cædit, cum in
eorum fautores seueriter animaduertit? Dicat hoc hospes
ille, qui, quod blasphemus in domo sua tolerat, Mariam
sibi membra vimine notare somniat, & vigilans defecta
reperit, seroq; Mariam vindicem scelerum publicè præ-
dicat: Hæreses quoque in iis mulieribus peremit, quarû
altera Mariæ nomen, & auxilium repudians, scrofam
pro infante peperit, altera per frustra fœtum membratim
effundens abortiuit.

Sed quid hæc talia commemoro, quasi Maria Hæ-
reses vindicando magis, quàm benefaciendo extirpet?
Paucula sunt exempla seuerioris vindictæ, præ aliis innu-
merabilibus beneficiorum, quibus in fide errantes, & Hæ-
resibus seductos, ad se allexit, Hæresesq; pdomuit. Quan-
do hominibus dona, & gratiam cœlestem impetrat, Hæ-
reses sternit; quando scelestos ad pœnitentiam & frugem
meliorem reuocat, Hæreses occidit, siue Theophilo chi-
rographum, quo se Diabolo dedicârat, recuperat; siue
Mariam Ægyptiacam suo templo arcet ream, & admit-
tit pœnitentem, Hæreses mactat; quoties periculis eripit,
quoties morbos sanat, toties Hæreses labefactat; quarû
tantam & maiorem stragem cogites, quantam in tem-

plis Maria

plis Marianis cereorū, imaginum, anathematū, votiuarū tabellarum struem & numerum aspicias. Quid cū aduersus carnificinam crudelium Hæreticorum, & paganorū vel in cruciatibus roborat, vel post tormēta sanat, vel post mortem vitam reddit? Quantum Hæreses detrimenti acceperunt, cū Damasceno manus perfidē rescissa, per Mariam restituta est? illa manus, inquam, quæ sola non ferro, sed stylo; non violentiâ pugnandi, sed elegantiâ scribendi Hæreses innumeras pessundedit? Quid cū hebetiorum ingenia exacuit, vt Bernardi suaui loquentiam, Alberti sapientiam, Ruperti grandiloquentiam omnes mirerentur, Hæretici autem pertimescant; noñe his omnibus modis de Hæresibus victoriam reportat?

Sed quid ego omnes triumphos Marianos de Hæresibus conquirere frustra conor? Non mihi si centū linguarū, sint oraq; centū, cuncta Trophæorum percurrere nomina possem. Minuta illa signorum, imaginum, altarium, sacellorum, templorum omnia prætereo; illa insigniora tantū, quæq; iis ipsis annis munificentissimè sunt erecta, quibus diuersissimæ Hæreses in Marianum, & Christianum nomen debacchabantur, mihi considera, nempe illos sacros ordines Marianos, & cætus ac sodalitates, integrasq; ciuitates, imò amplissimas prouincias, regna florentissima, insulas fortunatissimas, Marianis sub auspiciis, & nomine natas, inuentas, auctas, locupletatas, & ad summum culmen felicitatis, dignitatis, æterni nominis, & salutis uectas; & vnde quaq; Marianis laudibus personantes, & de Hæresibus victis & deletis Epinicia, maiorum exemplo decantantes; Gaudè Maria Virgo, cunctas Hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.

Πολυλογος ἱεροῦ βιβλίου, ἡ δὲ ἀποστολή
 ἡ δὲ ἀποστολή ἡ δὲ ἀποστολή ἡ δὲ ἀποστολή
 ἡ δὲ ἀποστολή ἡ δὲ ἀποστολή ἡ δὲ ἀποστολή

P 3

TRO-

Georg. Trapezunt. & Sur.
 29. Maii de Andrea à Chio.

Ioan Patriarcha Hierosolym.

In vitis eorum

Totus ferè nunc Orbis, Marianum Trophæum est, vt pote MARIÆ auspiciis cognitus, &c. Quæ de causa B. Virgini Templum in portu Vlyssiponnensi dedicatum.

Petri Maff. lib. 2. Hist. Ind. & Osor. lib. 1.

TROPHÆVM DECIMVM.

Argumentum.

Inter illustrissima huius ætatis Trophæa, qua aduersus Hæreticam impietatem erecta stant, & florent, numerari præcipue debet Aedes Lauretana Maria, sic à loco appellata, quæ hoc ipso seculo, quod tot Hæreses nouas, & inauditas peperit, tantum & magnificentia adificiorum, & maiestate caeremoniarum, & opulentiâ donariorum, & frequentia peregrinorum, & dignatione miraculorum amplificata est, vt nihil habeat simile orbis terrarum; vtq; nullâ aut dicendi copia, aut scribendi gratiâ satis vnquam celebrari possit, sed omnium etiam diuersissimorum, ac doctissimorum vincat ingenia, & eloquentiam. Itaq; tantum abest, vt Catholica religioni, & Mariano Lauretano honori quicquam perniciosissima ceteroquin Hæreses detraxerint, vt locus ille sanctissimus, neque honoratior, neq; ornatio, neq; celebratior vnquam fuerit, quandoquidem nullum genus periculi, vel corporis, vel animo pereundi, nulla morborum, imò etiam mortis species est, quâ non se inuocantes Lauretana Virgo liberauerit, sanauerit, eripuerit, & vita etiam iucunda, ac saluti restituerit, vt iure meritissimo eò ex toto Orbe concurratur, ad omnem perniciem publicam, & priuatam, corporis mentisq; euitandam: Hoc enim est ad Panoletbria tollendam, & ad omnium, quæ quomodocunq; hominem agrè afficiunt, eiusq; saluti ac vitæ suæ huius temporaria, siue æterna detrimentum afferre possunt, commune remedium, hoc est, Panaceam inueniendam. Insultemus igitur & hoc Trophæo misellis Hæreticis, & voto nostro Coronidem imponamus.

D. MARIÆ LAURETANÆ S. PANOLETHRIA
SVBLATA ET PANACEA REPERTA.

Aedes Lauretana quasi triumphalis MARIÆ currus est.



MANDEM igitur victrix Virgo Regia, post Pœ triumphalis anteludia inuehitur, non quadrigis albis, sed circumfusa populo letissimorum Angelorum, insidens non aureo

curru

curru, cuius axis grauiter sonat, sed foelici tugurio, in quo tum ipsa lucem hanc primò conspexit, tum DEVM hominē vtero virgineo concepit, virgineis vberibus lactauit, & educauit; quod sustinentes aureæ cœlestium animarum pinnulæ, vsq; à Nazaretho Galilæe per ingentia terrarum marisque spatia, nempe amplius vices centena passuum millia, primò in Dalmatiam, tum in Piceni syluam, dein in duorum fratrum collem, ac demum Lauretum transfulerunt, vbi iam supra trecentos annos, incredibili Christiani populi, ex vltimis terris concursu & religione celebratur, non tam visendum structurâ quâ circumdatum est admirabili, & auri, argenti, atque gemmarum gazâ incōparabili, quàm colendum ob gratiam cœlestem, & inaudita beneficia, quæ mentibus, corporibusque hominum, ipsi illi parietes rudes, ac Marianæ simplicitati congruentes de se, in pios aduenas vota ferentes, aspirare, & conferre videntur.

Quid multis? omnium eorum quæ mortales auersari solent, ipsiusq; Panolethriæ remedium, ac Panacea Laureti quaritur, ac inuenitur, indeq; omnium expetibilem tanquam fons vberimus, & inexhaustus fluit. Annò illic cæcis amabili luce perfrui datum est? Nonnè surdis aures, mutis apertæ linguæ, podagricis pedum, paralyticis reliquorum etiam membrorum vsus consolidatus est? Iam quot ad memoriam tantùm Lauretanæ Virginis carceribus exempti? quot sub graui casu, & ruina seruati? quot prædonum, latronum, infidelium crudelitate, & tyrannide erepti? quot periculis fluminum, imò maris ipsius sæuissimis tempestatibus iactati, quot naufragi spe Marianâ subnixi, foeliciter enatarunt? Certè nullus periculi terror, nulla lethi forma est, de qua MARIA Lauretana sibi deuotos non plurimos exemerit. La-

Semel in hoc Trophæo obseruandum, ne multis citationibus opus sit, nihil hic annotari, quod non quisque sensu ipso Laureti præfens percipere possit, Aut quòd non graui auctoritate ad posteriorum memoriam confirmatum sit.

Qui verò Lauretum perfectius cognoscere cupit, totam legat historiâ Lauretanam, pari fide & elegantia scriptâ ab Horatio Turfellino societatis.

Omnium malorum remedia, omnium bonorum copiam domus Lauretana subministrat.

Plin. lib. 26. c. 1

borârunt multi, vt omnium morborum, quibus humana miseria confictari potest, numerum, & naturas describerent, sed consequi id non potuerunt. Verùm si ædem Lauretanam adeas, moriar nisi inuenies in tabulis pieta, vel in votis sculpta, vel in chartis conscripta morborum plura genera, quàm quisquam etiam præstantissimorum Medicorum cognoscere potuerit, aut literis mandârit, aut longa multorum annorum experienciâ cognouerit.

Innumerabiles & tristissimi Calus humani Mariæ Lauretanæ beneficio vel auersi vel leuati.

Quid morbos refero? cùm adhuc latiùs pateat humanarum calamitarum, & euentuũ fortuitorum, sed tristium innumerabilis multitudo, & varietas, quàm supra omnes omnium etatum historias, maiorem & vberiolem tribuet domus Lauretana, si ea tantùm percensere velis, quæ sensui illic occurrunt. De iis, quæ aut vetustas aboleuit, aut pudor celauit, aut simplicitas abscondit, nihil dicam. Neque ego de casibus quotidianis, qui etiam casu sepe curantur, & emendantur, loquor, sed de iis, quos etiam mundi sapientissimos, & Naturæ perspicacissimos, fateri oportet, non nisi diuinitus, & illustri miraculo tam sceleriter mutari potuisse, cuiusmodi sunt; steriles fecundari, gladio perfossos effulis visceribus intestina præ se ferre, & viuere; sub carnificis truculenti manu reuiuiscere, & molle corpusculum sub Mariano præsidio quandoq; nec laqueo clidi, nec ferro vulnerari, nec igne aduri, nec aquâ prouocari, nec mole vlla quassari, nec pestilentia vitari posse. Sed possint hæc omnia nocere, possunt tamen rursus etiam Mariæ Lauretanæ beneficio, quamuis elisa, redintegrari; obduci vulnerata; vstulata germinare; prouocata respirare; quassata componi; infecta sanari; mortua ad vitam reuocari.

Maïora beneficia Lauretana, quæ in animos, quam in corpora conferuntur.

Quid illa dum de corporibus Demones, de pectoribus malitiam eiicit? cum scelere purgat improbos, &

DEO

DEO reconciliat? cū a libidine ad castimoniam; ab in-
 temperantia ad sobrietatē; à mollitie ad virtutem, ad pœ-
 nitentiam, ad sanctitatem, & innocentiam, de tenebris ad
 lucem, de cœno ad cœlum sceleratos traducit? Et quibus
 hæc Lauretana Virgo præstitit, & præstat? Non Christia-
 nis tantū Marianis, sed sæpius, vt misericordiæ Mater
 suis quoque inimicis Hæreticis, Iudæis, Turcis, infideli-
 bus. Nulla gens, nulla conditio mortalium, nullus sexus,
 ætas nulla est, cui Maria Lauretana vocata non succurrat.
 Hinc videas in illius Ædiculæ puluere volutatos iuxtā
 cum mendicis, Imperatores ac Principes; cum plebeis
 sanctos Antistites, ipsosque ad eò Christi, FILII MARIÆ
 vicarios, & summos Pontifices; neq; solū priuatim sin-
 guli, tam Magni, quā minimi tantis malis exoluuntur,
 & tam admirandis beneficiis cumulantur, sed & floren-
 tissima regna, amplissimæ prouinciæ, celeberrimæ ciui-
 tates, vel bello, vel fame, vel pestilentia, Lauretanæ Mariæ
 benignitate liberatæ, æterna tantorum miraculorum mo-
 numēta ibidem reliquerunt, regia, & opulentissima ana-
 themata, ipsa ad eò regionum, & oppidorum tam pretio-
 sa, quā speciosa simulachra, quæ inter cætera Mariani
 triumphis fercula titulos præferunt, non vt illæ in Roma-
 norum triumphis captarū, aut excisarum, sed quod longè
 est honorificentius, & gloriosius seruatarum, & omnibus
 bonis amplificatarum vrbium.

Atque illa quidem Mariæ Lauretanæ in humanum
 genus benefacta, quibus mala infestantia dispulit, aut cla-
 des imminentes prohibuit, magis quidem sunt conspicua
 iis, quibus eadem sui amantes, & clientes affecit, vel desi-
 deriis eorum explendis, vel cœlestibus donis, & diuina
 gratia impetranda. Atque hæc beneficia, licet minus in
 vulgus nota, ac sensibus minus obuia, sine dubio tamen &

Multa eaque
 maxima Lau-
 retanæ MA-
 RIÆ beneficia
 occulta & in-
 cognita.

Q multi-

Ipsa fama er-
ga hæc expli-
canda quæ Lau-
reti sunt, ob-
solefcit.

multitudine numerosiora, & dignitate illis sunt præstan-
tiora; Imò verò inter omnia Lauretanæ Mariæ miracu-
la, nihil mihi videtur diuinius, quàm quòd inexplicabi-
li largitate de perenni redundantia thesaurorum Filii
sui, optima quæque, & ditissima munera velut furtim, &
incognita, vel petentibus tribuat, vel etiam ignaris a-
manter obtrudat, non solùm necessitati, sed etiam pu-
dori indigentium consulens, nec preces solùm, & cla-
mantium voces, sed tacentium quoque gemitus, & su-
spira æstimans, & vt plurimùm vota quoque suorum
præueniens. Sed quid ego istis diutius immoror, quasi
verò vllâ facundiâ humanâ explicari, aut vllâ cogitatio-
ne comprehendi satis possit immensa illa, ex Lauretana
Mariana domo in totum mundum vberriimè redun-
dans beneficentia, ad quam pro dignitate describen-
dam, atque de prædicandam, ne ipsa quidem Fama, quæ
cætera omnia in maius augere solet, sufficit, adeò tot lin-
guæ, & tot ora sonantia, auresque totidem, quot Fama
subrigit, Lauretano præconio celebrando, & capiendo
deficiunt. Fœlicior haud paulò sensus oculorum est, ita
vt ii, quibus Lauretanum sacrarium coràm aspectare da-
tur, aliquanto perfectiùs diuinitatem loci cognoscere;
Et quamquam absentes, postea contemplari possint, non
tamen eousq; vt quantum vellent, aut deberent, satis a-
pud alios eloqui, & celebrare encomiis queant, neque
quenquam arbitror repertum vnquam, cui non Laure-
tanæ Mariæ cælestis Maiestas amplior visa præsentis sit,
quàm ille vnquam, vel antè opinione conceperit, vel
postea sermone proloqui potuerit; vt nec arbitror quen-
quam vnquam fuisse, aut futurum tam scelestum, tam ne-
farium, tam perditum, quem non Lauretanæ Mariæ a-
spectus aliquo pietatis sensu commouerit.

Quid

Quid enim Laureti est, quocunque oculos, aures, animum aduertas, non religiosum? non admirabile? non diuinum? Dic enim mihi, quisquis es, ô homo, quid est, quod te maximè delectet? Antiquitas, an Nouitas? Paupertas, an Opulentia? Pietas, an Caritas? Monita, vel exempla? Dei laudes, an silentium? Antiqua quæris? ecce tibi domum, quâ non stat, quâ Sollucet, antiquior, in qua cernere licet antiqua vestigia, quæ Angelus salutem nunciatus institit, vbi Domini, & Dei nostri Mater nutrita & educata DEVM concepit, nutriuit, & educavit. Ant tibi quicquam Christo tuo antiquius? ecce tibi locum breuem, in quo magnus ille, magni mundi Deus portatus, & lactatus est; in quo lusit & laborauit. Viden illud limen, quod toties triuit, illum foculum, quem fouit, ad quem se calefecit; Vbi estis, ô aquilæ? Hic corpus Christi gestatum est, stetit, sedit, comedit, dormiuit, hîc vsque ad trigessimum annum sese continuit. Huc adeste, hinc via recta ad cœlum patet: imò hîc cœlum est, hîc Maria cum prole sua. Cur enim mihi eum, qui vbique præsens est, non illic magis præsentem fide faciam, vbi ipse tanto tempore præsens adfuit? O Antiquitatem venerandam, nempe ipsa vestigia Seruatoris nostri adhuc pueri, & adolescentis, & viri. Siue te structura delectet antiqua, ecce tibi domum Ioachimi, & Annæ, post sesquimille annos amplius sine fundamento firmissimè consistentem. Si pictura, ecce tibi exemplar Imaginis MARIÆ DEI Matris à Sancto Luca expressæ. Præ his enim illa, quæ quamuis à pluribus sæculis illis visenda seruantur, inter antiqua non commemoro.

Sed noua te capiunt. Ecce igitur substructionem admirabilem Basilicæ, quæ sacram ædiculam circum-

Omnia in A. de Lauretana admirabilia.

Adem Lauretanam Antiquitatem venerandam commendat.

Adis Lauretanæ Antiquitatem, florida Nouitas exornat, & Opulentia.

si simo
de laud
apud

ius. T. vob. f.
opum Amant
hinc vob. sal
tabas. mo

Opes & aurū
Domui Laure-
tanæ, donant
Christiani, tan-
quam vitam &
sanguinem of-
ferent.

Lauretanæ A-
dis splendor,
non irritat cu-
piditatem, sed
inuitat ad li-
beralitatē

ambit, aspice pictas, fictas, fufas, cæfas imagines, & simula-
chra aurea, argentea, gemmea, marmorea, eburnea, qua-
rum amplitudo, magnitudo, pulchritudo, & artificium
tantum est, vt eius ne Apellem quidem Xeuxin, Polycle-
tum, Phidiamue pœniteret, imò vt possis non solùm artē
arti, sed etiam artem cum natura comparare. Et hæc præ-
stantissimorum artificum opera regis sumptibus curata,
& Lauretanæ domui donata, quid sibi volunt? quos titu-
los, quas effigies repræsentant? nullas profectò, nisi Iesu
clementiam, & Matris eius munificentiam testantes, cū
quibus conueniunt omnia cætera donaria pretiosa, siue
illa, quorum in sacrificiis vsus est, siue cæteroqui ad orna-
tum sacrosanctæ domunculæ asseruantur. Ita autem ple-
riq; sumptuosa illa dona Iesv Christo Filio per Mariam
Matrem eius offerunt, quomodo si sanguinem, & vitam
donarent, quam cū ipsam multi ex illis eidem debeant,
neq; vel ibi effundere sanguinem, aut vitam istam affige-
re semper possint, illud ibi relinquunt, quod plerisque nō
minus, quàm vita, & sanguis curæ est, quodq; ad vitam to-
lerandam maximè est opportunum. Et aliorum quidem
thesaurorum nouitas, & splendor oculos præstringit, &
cupiditatē incitat; Sed Lauretanæ domus cœlestis splen-
dor, & quæ illic gaza visitur, liberalitatē potius incen-
dit, & augendi potius tantas opes, quàm appetendi, aut
auferendi desiderium parit. Itaq; videas alios quidem de-
stinata offerre munera, alios autem etiam destinatis ma-
iora, quod nunquam cogitârunt, loci maiestate permo-
tos, adiicere. Hinc factum est sæpè, vt Principes viris, aut
fœminæ atq; virgines, & diademata capitibus, & monilia
ac torques cervicibus, & dextrocheria manibus, & gem-
mas digitis, & sæpè demum, quod quisq; charissimum, &
pretiosissimum haberet, auellerent, & Mariæ Lauretanæ,

aut

aut IESVLO eius dedicarent, nemine quidem instigante, sed solâ religione, & dulcedine, quam locus exspirat, permouente. Habes igitur cum nouitate opulentiam.

Sed paupertatem vis? Ipsam ergo paupertiuam ediculam circumspice, in qua, tum paupercula Mater cum Filio pauperculo vitam egit pauperculam, Nihil hîc ambitiosum, nihil superbum, nihil sumptuosum: parietes vides nudos, & simplices, armariolum breue, & vacuum, foculum paruulum, & vilem: quæ quidem ipsa paupertas tantas diuitias promeruit, quantâs illic appendimus; non quòd opes istas Marianæ tenuitati præferamus, nec quòd Mariâ, aut Iesum eius, auro egere, aut gloriari credamus, sed vt contestemur, nos in IESV & MARIÆ paupertate plus præsidii ac spei ponere, quàm in auri, aut æris, omnisque gazæ, quam humana industria accumulare potest, abundantia: & omne aurum, quod sic offertur, non pretium est, quo cœleste beneficium commercari velimus: sed testimonium est aureæ mentis, quæ per Christi Mariæ Filii paupertatem, æterni numinis fauorem, & salutem cœlestem exposcit. Paupertas tibi placet: Ecce tibi vias omnes, & compita tanquam muro altrinsecus mendicis, & calamitosi hominibus septa; fora, hospitia, xenodochia, pauperibus referta, qui ad Lauretanâs Marianas celebri- tates, tanquam ad commune ærarium, frumentationem, congiarum, & publicas epulas confluunt.

Pietatem probas? Audi ergo tot gemitus, & suspiria, quot ad conspectum Lauretani Sacelli, & in eius penetralibus funduntur; aspice nudatas plantas, supplices palmas, genua repentia, extensa brachia, contusa pectora, prostrata corpora, velatas facies, terga flagris asperata, delicata corpora saccis informibus horrentia, confusas vo-

Etiam paupertas Lauretanâ & dem condecorat.

Lauretâ Mendicorum & miserorum commune perflugium.

Magnum decus facello Lauretano Pietas addit.

ces multiplices, dum alius misericordiam implorat, alius beneficia poscit, alius gratias agit. Et cuius tam faxeum pectus esse potest, qui tantę religionis aspectu non commoueat.

Caritas Lauretana erga pauperes ac peregrinos.

Sin autem & Caritatis exempla quæris, respice ad stipem, quæ pauperibus datur, ad diligentiam, quæ morbidis & mendicis ministratur? Viden' illum Antistitem, hunc Principem, hanc Reginam, hanc sceminam nobile lectos obeuntem, egros, & verbo, & pecuniâ consolantē, cibum largientem, pedes lauantes, & tanquam ipsum Christum foueret, ac tractaret, situ, ac scabie deformia membra osculantem, omniumq; deliciarum obliuiscen-
tem, Christi, & Mariæ amore colliquescentem, & ipsam si fieri possit, animam, & vitam pauperibus communicantem, ac diuidentem. Vbi nunc sunt, qui exempla requirunt? Tot, tamq; multiplicia omnigenæ virtutis exempla vno die Lauretum suppeditabit, vt habeas totâ vitâ, quod mireris, & quod imiteris.

Ædes Lauretana Schola Evangelica presesua.

At fortè monita desunt. Surdus ergo es, si nō audis angulos omnes à prima luce ad meridiem vsq; Evangelicis vocibus personantes, & quidem eiusmodi, quæ diuersissimorum hominum votis sint accommodatæ. Itaq; qui visum recepit, miraculum Christi de cæco curato inter sacrificandum Euangelium lectitari curat, non solum vt similis beneficii eundem Auctorem Christum IESVM Marię Filium, prædicet, sed etiam vt audientes ad spem similis gratiæ vel sperandę, vel petendę admoneat. Deinde illum suggestum conspice, vnde sanctum Euangelium, prout temporis, & celebritatis ratio postulat, magnâ dignitate conspicuus, & efficacitate pro concione, vel Antistes dignitate conspicuus, vel sacerdos DEI amore, & salutis populorum cupidus, detonat. Quid? nonnè vides illam tur-

bam,

bam, quæ sedes, quas linteati sacerdotes occupant, circūdat: Quid aliud agunt: quàm vt salutaria monita accipi-
ant, suâ quisq; & patriâ linguâ, vndecunq; tandem terra-
rum aut gentium aduenerit; ita Lauretana domus, vna
post omnium fidelium Matrem Romam, quasi commu-
nis quædam omnium Christianorum Patria est; in qua
semper inueniant, qui egent, tanquam parentes, à quibus
alantur; qui ægri sunt, medicos à quibus curantur; simpli-
ces, & ignari, Doctores, à quibus erudiantur; Rei, clemen-
tes iudices, qui noxas eis condonent, ac se cum Deo recō-
cilient; quæ omnia illic fiunt tanto labore ac vigilantia,
quantam requirit tot gentium concursus; tantâ solertiâ
& fœlicitate, quasi singulis peregrinis & aduenis singuli
harum rerum curatores destinati essent.

Sed superest fortè quem iuuèt ex omnibus maximè
& iucundè afficiant, æternum Deum laudantium cho-
ri. His quidem tanquam irrequietâ symphoniâ domus
Lauretana resonat, tantâ vocum ac sonorum, tum ma-
iestate, tum suauitate, vt piorum mentes, tanquam ex-
tra se positæ, sibi non rarò ipsis cœlestibus harmoniis in-
teresse videantur: & quomodo chorus hic nō meritò cœ-
lo comparetur cum eadem Laureti, quæ illic assiduè per-
sonent, præsertim, cum pleriq; istorum symphonicorum
vitæ puritate, & innocentia Angelorū quoq; virtutes emu-
lentur. Iam verò quantum suauitatis, quantum pietatis,
quantum vtilitatis habent vices illæ, per quas Psalmis hy-
mni, hymnis cantica, canticis Litanæ, concentibus mo-
nodicæ, & vt tempora, aut festa, aut vota postulant, colo-
res, & moduli intermiscantur ad motus, quibuscunque
opus est, in animis mouendos, siue peccata plangenda
sunt, vt lachrymis dulcissimis genæ madeant; siue cœlestia
contemplanda, vt animus sui non satis iam compos in

Lauretâ quasi
omnis Chri-
tianorum pa-
tria.

In Templo
Lauretano
Dei laudes assi-
duæ.

astra euolet; siue beneficia postulanda, vt mens diuino amore incalescat; ac demum eo quisq; sensu pietatis perfundatur, qui tunc & Deo acceptissimus, & ipsi saluberrimus sit futurus; nempe vt præfidentes, vtili timore; timentes, fiducia; gestientes, exultatione; desiderantes, spe poscentes, gratiâ; totoq; adeò Deo volentes ac meritis repleantur.

Silentium quoque in Aede Lauretana, planè est admirabile.

Sed non ita canoras Dei laudes extollimus, quin & silentium Lauretanæ domus planè fateamur esse admirabile. Nam dum homines cessant, etsi nunquam ferè cessant, quoniam & longissimè absentes diu noctuq; Lauretanam virginem concelebrant: sed tamen dum homines cessare saltem videri possunt, an credimus Lauretum laude Dei, laude Virginis vacare? imò verò tum negotiosi sunt Angeli, tum Mariæ, & IESVLO elementa seruiunt. Hinc auditi sæpè concentus, sub ipso noctis intempestæ silentio angelici; & noñe etiam canore Aniculæ symphoniæ sæpè suaues adsonuerunt; Matrem numinis, reginam cœli, orbisque dominam blando mulcentes afflamine? Quis nescit cœlestes illos & mitissimos ignes supra ædem Lauretanam sæpè fulsisse, & quasi quosdam stellarû choros, dispositis ordinibus supra sanctissimam domum decoros nonnunquam ambitus quasi tripudiantes inerrasse, nunc in orbem rotatum flexuosos, nunc in obliquam seriem connexos, & post discursus reciproci multimodos ambages, rursus explicatos disparuisse; & qualiacunq; hæc sunt, tamen in ipso silentio vicem hominum explent quodammodo, & subeunt illè coruscæ flammulæ, quæ siue de virgineis apum, siue de pinguibus olearum fœtibus, instar stellularum, vel ex candelabris pretiosissimis, vel ex lychnuchis artificiosissimis emicant, & sidere-

os variatâ intermissione fulgores euomunt; Et quamuis dormientium piorum animas IESV ac MARIÆ flagrantem amore demonstrant.

Et quid demum mirum est, Lauretanam Ædem, quasi quoddam cœlum esse, cùm ille, cuius aspectu, & contemplatione cœlites omnes beati sunt, in eadem illa domo Deus homo, & diutissimè, & suauissimè vixerit? Quod id mirum MARIAM illic omnia posse, vbi etiam Deo homini imperare potuit, cùm in hac ipsa domo subditus ei fuerit Dominus IESVS? Quæ igitur per hominis ætatem adhuc mortalis, potuit IESV quod placuit imperare, nō posset iam beata & immortalis, p̄ miseris mortalibus, quod petit ab eodē impetrare? Iam verò impetrat & imperat adhuc, nec quisquam IESVM per MARIAM orauit, quod non exorauerit, Laureti præsertim, quod quasi terrenū quoddam cœlum est, quod qui semel introspexit, non potest non per Mariæ misericordiam, ad spem æterni illius regni, & perpetuæ gloriæ erigi, quantacunque alioqui peccatorum mole prematur. Itaque & ego, qui me merito infra omnes peccatores loco, solâ tamen memoriâ Lauretanæ MARIÆ gloriæ, & clementiæ, non quidem meritis meis debitas, sed Dei tamen & Matris eius misericordiâ dignas cogitationes suscipio, & quamuis miseriarum mearum, tamen & beneficiorum acceptorum conscius voti que reus, profusis lachrymis, & crebro singultu verba interficiens Mariam inclamo, eidem que gratias gratas æternum habeo.

Tu enim ô Maria Lauretana sancta, & humani generis sospitatrix perpetua, semper fouendis mortalibus munifica, dulcè matris affectionem miserorū casibus tribuis; nec dies, nec quies vlla, ac ne momentū quidem tennue tuis transcurrit beneficiis otiosum, quin mari terrâque

R protegas

Marianum sacellum terrenum quoddam cœlum est.

Luc. 2.

Alloquium ad B. Virg. Lauretanam. Hæc tanquam per Parod. ex Mad. Miles. lib. II.

protegas homines, & depulsis vitæ procellis, salutarem porrigas dexteram; quâ errorum quoque & peccatorum inextricabiliter contorta retractas licia, & fortunæ tempestates mitigas, & stellarum noxios meatus cohibes. Te Superi colunt, obseruant Inferi; tu rotas orbem, lumnas Solem, regis mundum, calcas Tartarum; tibi respondent sydera, gaudent numina, redeunt tempora, seruiunt Elementa; tuo nutu spirant flamina, nutriuntur nubila, germinant semina, crescunt germina. Tuam maiestatem perhorrescunt aues cælo meantes, feræ montibus errantes, serpentes Solo latentes, belluæ Ponto natantes. At ego referendis laudibus tuis exiguus ingenio, & adhibendis cæremoniis tenuis merito; nec mihi vocis vbertas ad dicenda, quæ de tua maiestate sentio sufficit, nec ora mille, linguæque totidem, vel indefessi sermonis æterna series. Ergo quod solum potest religiosus quidem sed pauper alioquin efficere, curabo diuinos tuos vultus nomenque sanctissimum intra pectoris mei secreta conditum perpetuò custodiens imaginabor, & reliqua vitæ meæ curricula, ad vsque terminos vltimi spiritus, tibi vadata consecrabo; nec iniurium, cuius beneficio inter homines, & in vera fide viuas, ei debere totum quòd viues. Viuam autem vt spero in IESV meo beatus, & in tutela tua gloriosus, & spatia sæculi mei permensus, cum hinc migrandum erit, si per te ab æternæ mortis terrore defensus ad cælum demeabo, illic te quoque mihi propitium assidue colam. Interea verò & sedulis obsequiis, & religiosis ministeriis, & tenacibus castimoniis, clementiam tuam promereri conabor, non tam vt vitam proroges, quàm vt à peccatis, & ab ira Filii tui æternum protegas, eundemq; IESVM tuum ostendas vnà tecum triumphantem, & omnes cœlites beantem.

TROPHÆORVM MARIA-
NORVM CORONIS.

AT hic mihi finis esto Trophæorum, hâc quidem for-
mâ modoque statuendorum; sed nullus mihi termi-
nus erit, Marianas laudes celebrâdi, & decantandi, quàm
diu quantulumcunq; vel linguæ, vel vitæ, vel mentis, in
hoc corpusculo reliquum erit; Siue me IESVS meus cum
MARIA Matre sua supplicem aliquo diuino munere do-
net, siue meritum peccatis, infortunio aliquo humano
multet. Nulla vnquam cum Deo tanta mea fœlicitas fu-
tura est, vt MARIE me obliuio capiat, nulla tanta mise-
ria, quam non sola MARIE memoria alleuet, & tolerabi-
lem, imò iucundam faciat. Omnis mihi dies, omnis sta-
tus, omnis locus triumphalis erit; perpetuum quendam
triumphum Marianum triumphabo, si non pompæ ma-
gnificentia, perenni tamen erga victricem Reginam ob-
seruantia; sed non sine pia commiseratione, propter in-
fœlices illas animas, quas Hæresis nefanda cum cæteris
pestibus iam debellatis, non solùm in errorum labyrin-
thos inexplicabiles induxit, sed in ipsum æternæ mortis
barathrum præcipites egit. Atq; vtinam illi saltem, quibus
adhuc vt viuis integrum est, à præsentî perniciæ resipire,
tandem resipiscant, & Matrem suam; imò Dei Matrem,
imò IESVM ipsum omnipotentem eius Filium agnoscat.
Nam cum vniuersa Ecclesia semper quidem Dei Ma-
trem summis laudibus & honoribus affecerit; opinio-
nem autem diuinitatis, & infinitæ Maiestatis, de ea nun-
quam habuerit, & vsque in hodiernum diem literis ac
signis clarissimè & sanctissimè protestata sit; Mariam à se


honorari solum propter IESVM; nihil à MARIA postulari, quod non finente ac iubente Euangelio, à quouis Sancto, imò à quouis mortali peccatore aliquâ ratione exposci possit. Et cum præterea MARIA quidem, vt Mater Dei ante homines & Angelos quoque ponatur; IESV Christo autem infinito, & inexplicabili spatio, tanto nempe, quâto differt ab homine DEO, homo de humo & puluere natus; hæc, inquam, cum luce meridianâ sint manifestiora; quæ potest in homine Christiano vel turpior excogitari pusillanimitas, quàm adhuc vereri, ne minutia istæ laudum & ornamentorum, quæ MARIÆ vt Matri IESV tribuimus, immensitati potentia Dei derogent? aut quæ potest esse nequior malignitas, quàm his cognitis, sibi & aliis persuadere velle MARIAM Filio suo æquari, aut cum eo componi? aut quæ potest esse proteruior impietas, quàm à corpore IESV Christi, quod est Ecclesia, propter MARIAM Matrem IESV separari? Et ô sæculum deplorandum inter causas præcipuas miserandæ dissensionis, & discessionis ab Ecclesia, illa quoque numeratur, quòd à clientibus IESV nimis honoretur & obseruetur Mater IESV; ah miserere vel cæcitatibus, vel peruersitatibus huius, ô bone IESV, vt aut simplicium ab animis tenebras dispellas, aut impiorum insidias, quas prisca Religioni struunt detegas, & destruas. Vnde fiet, vt in Triumpho Mariano, hoc est, Tuo ac Matris tuæ, illi tanquam dedititii laudent clementiam tuam; isti tanquam refractarii, & contemptores maiestatis tuæ sentiant potentiam tuam. Ego interim licet inter gregarios milites Christianos ac Marianos infimus, tamen triumphum istum tuum, quo cum MARIA Matre inueheris, & in æternum frueris, à longè sedulus affectabor, tuasque laudes, ac Matris tuæ tanto contentiùs meditabor, quanto potentiùs auxilium à te speraui


semper,


semper, & patrocinante eâdem matre tuâ, & meâ, sæpiùs
in animæ corporisq; periculis impetraui, illudq; etiam ex-
oraturum supplex confido, vt olim peccatis eâdem cle-
mentiâ purgatus, & corporis onere leuatus, tanquam in-
ter prætorianos milites adscriptus, magnitudinem glorię,
& claritudinis Domini mei I E S V Christi, & M A R I Æ
Matris eius coràm & propè assistens contuear, eidemq;
cum cœlestibus choris semper beatus applaudam.

*Ad maiorem VNIVS ET TRINI DEI lau-
dem & gloriam; & honorem MARIÆ Matris eius;
simul ad testificationem Catholicæ Veritatis & Hæ-
rescon ac Mariomastigarum ignominiam per-
petuam.*

F I N I S.







TROP^{ha}
MARIANA
Steuartij
exegesis in
epist. d. P.
ad Ephes.
Eiusdem
apolog. pro
Societate.

Th

6009